

Petrus Schubart v. Ehrenberg inv. et del. Joañes Andreas Pfeffel sculps. et excudit Aug. Vind.

TRIUMPHUS
NOVEM SECULORUM
IMPERII ROMANO-GERMANICI,
CAROLO MAGNO,
AUGUSTISSIMO ROMANORUM
IMPERATORI,
GERMANIÆ, HISP. HUNG., BOHEMIÆ
REGI, &c. &c.
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c.
VIRTUTUM ET SECULORUM COMPENDIO
PACIS REPARATORI ET DEFENSORI GLORIOSISSIMO, FELICISSIMO,
SECULUM X.
LÆTISS. AUSPICIIS PROSEQUENTI ET VICTORIIS DINUMERANTI,
A
R. P. ANTONIO BÖMER è SOCIETATE JESU, AA. LL.
ET PHILOS. DOCTORE ET PROFESSORE, p. t. SENIORE ET CONSISTOR.
ANNO SÆCULARI MDCC. DECANTATUS,
NUNC AUTEM ANNO JUBILÆO M DCC XXV.
QUADRANTE SECULI AUCTUS ET RECUSUS
A
JOANNE ANDREA PFEFFEL, SACR. CÆS. MAJEST.
CHALCOGRAPHO AULICO.

AUGUSTÆ-VINDELICORUM,
TYPIS JOANNIS JACOBI LOTTERI.

CÆSARES, REGESQUE GERMANIÆ,

Qui

PER DECURSUM NOVEM SECULORUM ET XXV. ANNORUM FLORUERUNT.

SECULO I.

Ab anno Chrifti 800. ad 900.

CArolus Magnus Francus, Romæ coronatus Imperator anno 800.
Ludovicus I. Francus.
Lotharius I. Francus.
Ludovicus II. Francus.
Carolus II. Francus.
Ludovicus III. Francus.
Carolus III. Francus.
Arnulphus, Francus.

SECULO II.

Ab anno Chrifti 900. ad 1000.

LUdovicus IV. Francus.
Conradus I. Franconiæ Dux.
Henricus I. Saxo.
Otto Magnus, Saxo.
Otto II. Saxo.
Otto III. Saxo.

SECULO III.

Ab anno Chrifti 1000. ad 1100.

HEnricus II. Bavarus.
Conradus II. Franconiæ Dux.
Henricus III. Francus.
Henricus IV. Francus.

SECULO IV.

Ab anno Chrifti 1100. ad 1200.

HEnricus V. Francus.
Lotharius II. Saxo.
Conradus III. Suevus.
Fridericus I. Suevus.
Henricus VI. Suevus.
Philippus, Suevus.

SECULO V.

Ab anno Chrifti 1200. ad 1300.

OTto IV. Saxo.
Fridericus II. Suevus.
Conradus IV. Suevus.
Guilielmus, Hollandus.
Rudolphus I. Habfpurgicus, Cæfarum Auftriacorum Patriarcha.
Adolphus, Naffovius.
Albertus I. Auftriacus.

SECULO VI.

Ab anno Chrifti 1300. ad 1400.

HEnricus VII. Lucenburgicus.
Fridericus III. Auftriacus.
Ludovicus V. Bavarus.
Carolus IV. Bohemus.
Wenceslaus, Bohemus.

SECULO VII.

Ab anno Chrifti 1400. ad 1500.

RUpertus, Palatinus.
Sigifmundus, Bohemus.
Albertus II. Auftriacus.
Fridericus IV. Auftriacus.
Maximilianus I. Auftriacus.

SECULO VIII.

Ab anno Chrifti 1500. ad 1600.

CArolus V. Auftriacus.
Ferdinandus I. Auftriacus.
Maximilianus II. Auftriacus.
Rudolphus II. Auftriacus.

SECULO IX.

Ab anno Chrifti 1600. ad 1700.

MAtthias I. Auftriacus.
Ferdinandus II. Auftriacus.
Ferdinandus III. Auftriacus.
Ferdinandus IV. Rex, Auftriacus.
Leopoldus Magnus, Auftriacus.

SECULO X.

Ab anno Chrifti 1700. ad 1725.

JOfephus I. Auftriacus.
Carolus VI. Auftriacus.

AD LECTOREM.

Habes, Lector Benevole, *in synopsi deductam à* Carolo M. *& digestam in novem secula & XXV. annos Germanorum Cæsarum seriem. Triumphantes Illos in Virtutibus Augustis dedimus; quòd persuasum haberemus, nunquam gloriosiùs seculorum ejusmodi iniri rationem, quàm cùm calculus temporum à virtutibus ducitur. Has, ut libet, vel in imagine videas, vel in succincta narratione expressas; in qua si quædam cursim tantùm libavimus, quædam etiam prætermisimus, studio brevitatis excusa & pagellarum angustiis. Si decurrendum per singula, justum volumen singuli Cæsares & gesta eorum faciant. Nobis nec evolvere ea omnia per tempus vacabat; nec authores iÿ omnes ad manus, è quibus digna amplitudine rerum & plena concinnari posset narratio. Eorum tamen nonnullos ad paginæ, ut vides, calcem adjecimus; è quibus singula, etsi breviore plerumque verborum contextu, excerpta sunt, idq; tum ut minùs de fide nostra ambigeres, tum ut haberes, unde cumulatiùs ceu à fontibus desiderio forsan tuo satisfaceres. Illud adverte, aliqua præteriri à quibusdam, quæ recensentur ab aliis; alia ad annos diversos referri; probari ab uno quædam & in laudem dari Principi, quæ partium studio criminí alter & ignaviæ vertat. Pugnantia aliquando etiam, si ad invicem conferas, ab iisdem dici invenies; sed è quibus nos ea, quæ magis explorata videbantur, selegimus. Earum, quæ nonnullis Cæsaribus cum Romano Pontifice intercesserant, simultatum parciùs meminisse contenti, intactas etiam aliquando dimisimus. Si ad sequens potiùs seculum referendum Regem, aut Cæsarem nonnunquam putes, consultò id secùs à nobis factum existima; cùm in eo non ab obitu, sed à delato Imperio aut Coronâ annorum rationem haberemus.*

In iis, quæ Memorabilia Imperii *inscripsimus, non abnuo, quin & plura & lectiora adferri poterant; at eorum exoleta jam multa, ac ab usu quotidiano remota. A pluribus, quia ambigua videbantur, abstinere maluimus. Multa altiùs ex totius Imperii antiquissimis Juribus & Statutis repetenda erant; sed quæ secernere non horarum subsecivarum otium, quin totius hominis & in Jure diu versati negotium non leve fuisset. Cæterà styli ornatum hìc ne require; non enim historiam profitemur, sed Indices potiùs, ut sic dicam, & velut quædam actorum Summaria, in quibus natales, & obitus Cæsarum, annos Imperii, & solenniùs gesta breviore obtutu inspicias. Plura sunt, quæ desideres, & quibus in conatu hoc nostro ignoscas,* Benevole Lector; *sed quæ ipse, si velis, benigniore judicio abundè supplebis.*



DIVO

RELIGIONE TRIUMPHANS IN D. CAROLO MAGNO SÆCULUM PRIMUM IMPERII ROMANO-GERMANICI

Carolo III

Carolus II

Lotharius I

Ludovicus II

Ludovicus III

Arnulphus

Ecclesia beneficiis aucta

Saxonia ad Christum conversa

a D. Carolo Magno

Episcopatus fundati

Petrus Schubart à Ehrenberg in. et Del.

Johann Ulrich Kraus Sculp.

DIVO

CAROLO MAGNO,

RELIGIONIS ORTHODOXÆ PER GERMANIAM VINDICI, DE IDOLOLATRIA TRIUMPHANTI, EPINICION.

JUnge Triumphales virtus rediviva jugales,
Et pietas plena mærorem luce serena:
Quaque diem portu revehit, Sol aureus ortu,
Læta Fides flores, verisque faventis odores,
In virides zonas, & honoras flecte coronas.
Illa tot infestis insultibus horrida pestis,
Et Furia immitis malè fusa propagine Ditis;
Illa tot insanis quæ sustentata tyrannis
Teutoniam pressit, Cæli dum lege recessit,
Impia falsorum statuens simulachra Deorum;
Mille ferox parmis, CAROLI victricibus armis
Concidit, infernis Erebi tumulata cavernis.
Non ultrà effictis orci malè credula dictis,
Infelix lignum, vel obortum dæmone signum
Gens Alemanna colet; sed inania Numina nolet,
Uni fida DEO. Supplex hunc thure Sabæo
Teutonidûm claras Pietas celebrabit ad aras.
Ergo Pellæis monumenta decora trophæis
Relligio, & fossos laudis famæq; colossos
Ponat vincenti CAROLO, Fideique parenti.
His tua mansuris insculpet gesta figuris,
Augustum lauro nomen signabit & auro
Grata tibi totis Germania, CAROLE, votis.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno Christi 800. ad 900.

CAROLUS à rerum gestarum amplitudine *Magnus* dictus, nascitur Ingelhemij in Germania (a) Anno Christi 742. patre Pipino Francorum Rege, cujus cum fratre Carolomanno non diu superstite Successor, annos 46. Franciam tenuit. Italiâ à Longobardorum tyrannide vendicatâ, & bello pro libertate Ecclesiæ, & Pontificibus prosperè confecto, ad Germaniam ordinandam conversus, Radbodum Frisiorum Regem, quòd in Christianos persecutor sæviret, geminâ clade victum ditione exuit, religione stabilitâ. Exin Westphaliam & Saxoniam omnem annorum 33. bello subegit; è qua gente complures, quia sæpius rebelles, divisâ potentiâ partim in Flandriam & Brabantiam, partim in Transylvaniam Colonos traduxit. (b) Eosdem inter Saxones etiamnum Idolorum sequaces fontem impetravit divinitus datum exercitui & Jumentis ex siti languentibus; continuato tamdiu salientis aquæ prodigio, donec miles evertendis Irmensul & Crodo gentilibus simulacris insisteret. Witikindum Ducem cum omni gente per baptismum Christo adduxit, cujus Equum gentilitium, nigrum hactenus, candidum posthac signari constituit. (c) Toties pro Christo victor, & jam primum Ecclesiæ perfugium factus, expulsum seditione urbis Leonem III. Papam Paderbornæ in Germania honorificè ac perbenignè suscepit: quem pacatis jam suorum animis redire parantem, multo, eóque nobilissimo comitatu firmatum ac Romanis commendatum restituit. Mox, ut ipse coràm rebus meliùs pacatis consuleret, Romam progressus, nec quidquam de Imperio deferendo suspicatus, singulari cum splendore & apparatu ab eodem Pontifice & omni Clero excipitur; sed jam intra urbem receptus, cùm Barbaris sibi omnia vendicantibus nihil ab Orientali Græcorum Imperio caperetur præsidij, Populi Romani scito, Clerique rogatu ad restaurandum in Occidente Imperium, CAROLUS Imperator deposcitur; ac tandem in ipso natali Domini ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita, solenni ritu Romani Imperij coronam à Leone Papâ accipit in D. Petri Basilicâ, plaudente & acclamante identidem populo Romano: *CAROLO Augusto, à DEO coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita & victoria.* (d) Acceptum hac ratione Imperium amplissimè auxit, Bojis, Hungaris & Avaribus, Saracenis, Bohemis, Slavis, Danis, aliisque magno numero gentibus devictis. (e) Sed Maximum CAROLO in ampliando & firmando Imperio præsidium Sacrorum cura, & Religio fuit; nam & frequentiùs ad Ecclesiam ac Clerum ornandum per Episcopos suos Concilia & Synodos Provinciales celebrari constituit, datis etiam & suâ authoritate firmatis de Immunitate Ecclesiarum copiosis Diplomatis; & vectigalia Regum belli jure subjectorum Ecclesiæ dono transmisit, decimarum insuper pensione, quam eidem quotannis præstarent, gentilibus imperatâ. (f) Religiosorum cænobia ad Alphabeti numerum, tria & viginti, ac præ reliquis, tumulo dein suo exornatam, Ecclesiam Aquisgranensem Fundator Augustus instituit. Saxoniam inferiorem ferè omnem tot bellis quæsitam Christo cessit & Ecclesiæ, divisis in eam amplis Episcopatibus; inter quos præcipui Halberstadiensis, Paderbornensis, Osnabrugensis, Mindensis, Bremensis, Mimingerodensis seu Monasteriensis, Hildeshaimensis, & Bardovicensis, qui dein Verdensis. (g) Literarum multus amator, & Literatus ipse (ut qui præter nativam Germanicam Latinâ & Græcâ disertus esset) Gymnasia publica Parisiis, Bononiæ, & Ticini seu Paviæ erexit ac Privilegiis munivit. Testamento super rebus mobilibus constituto, sic thesauros divisit, ut liberis partem unam, duas Ecclesiæ relinqueret. Imperii Successorem Ludovicum filium dixit, Franciâ & Germaniâ eidem assignatâ, Italiâ penes Bernardum ex Pipino fratre nepotem relictâ. (h) Tandem plenus ætatis & meritorum lentâ febri extinguitur Aquisgrani A. C. 814. ætatis 72. Regni Franc. 46. Imperii 14. ibidem in Basilicâ D. Virginis à se nuper erectâ, sepultus. Symbolum illius: *Christus regnat, Christus vincit, Christus triumphat.*

LUDOVICUS I. cognomento *Pius*, natus Patre Carolo M. Anno Christi 778. ab eodem Successor Imperii constitutus, administrandam interim Aquitaniam accepit; in plurimis non minori ac Pater in religionem affectu Princeps. Stephanum V. Rom. Pontificem, Gallias subeuntem ipse obviam factus cum veneratione maximâ Aurelianum deduxit, in hæc verba salutatus à sacro Antistite: *Benedictus sit Dominus DEUS noster, qui tribuit oculis nostris secundum David Regem videre,* Mox etiam ab eodem cum Irmingarda Conjuge in Imperatorem unctus & coronatus. Bella gessit in Saracenos, & Pannones semper victor; & in Normannos etiam cum prodigio citra Sanguinis profusionem. (i) Frequentior tamen inter Pacis & Religionis negotia, Haraldo Danorum Regi Christum persuasit; quem is Moguntiæ in Baptismo volens suscepit; sed regno interim à Gentilibus suis prohibitus Frisiam à Ludovico habitandam obtinuit. (k) Annum ætatis vigesimum nonum cùm attigit, jam totidem numero, id est, 29. Ecclesias Fundator erexit, intérque eas Hamburgi Archi-Episcopatum, cui Danos, Suecos, & Slavos (qui nunc Pomerani) subjecit, Anschario Archipræsule constituto. (l) Eodem zelo pietatis Aquitanis suis multâ parte etiamnum Gentilibus consuluit, pluribus Religiosorum cænobiis, per quos Fidei veritatem edocerentur, erectis. Ecclesiæ Jura & dignitatem ut ampliùs tueretur, decreto sanxit, ne Servi Christi servituti ulli humanæ subessent, útque Ecclesiæ singulæ condignis proventibus ad sustentationem Sacerdotum gauderent. (m) Romanam præcipuè, utpote omnium Matrem Ecclesiam, impensiùs ornandam suscepit; cui thesaurorum paternorum partem maximam dedit, & Constantini donationem D. Petro, & Paschali Vicario ejusdem novo decreto firmavit, ut extat apud Gratianum. (n) A Lothario Filio, præmaturè Imperium usurpante, in Monasterium & vItam privatam compulsus, sed in dignitatem iterum ac libertatem repositus veniam supplici dedit, & Successorem nominavit Imperii; illud unum huic & reliquis operosè commendans, ut Defensores Ecclesiæ & Summorum Pontificum, si opus, ad Sanguinem etiam pro iisdem decertarent. Datur etiam Religioso huic Principi impetrata à Gregorio IV. Pontifice per Germaniam primùm & Galliam omnium Sanctorum in Kalendas Novembris Festivitas. (o) Qui in supremo morbo 40. diebus continuis confessione Sacrâ identidem expiatus, &, dum aliud alimenti genus æger non sustineret, communione sacrâ refectus, diem obiit in Insulâ Rheni propè Moguntiam, A. C. 840. Imperii 26. ætatis 62. Metis in cænobio D. Arnulphi à se condito sepultus. Symbolum: *Omnium rerum vicissitudo,*

LOTHARIUS I. Filius Ludovici primogenitus A. C. 795. à Patre Imperator declaratus, & eodem adhuc in vivis agente coronatus Romæ à Paschale I. A. C. 823. Datis tum urbi Magistratibus, & Civibus ad leges reductis; quòd ii, quasi jam distractis Francorum viribus, defectionem iterum ad Græcos cogitarent. Perductis ad amplectendam Christi Fidem Bohemis, pertæsus jam curarum Imperii (cujus nuper ampliandi causâ cruento cum fratribus prælio, ac pacificâ tandem conventione transegerat) in filium illud Ludovicum Successorem transtulit; Austrasiam reliquis Carolo, & Lothario sic divisit, ut huic Lotharingiæ nomine, quidquid ad Septentrionem, illi Burgundiæ titulo rel-

(a) Eusebius in Chron. apud Naucler gener. 27. vol 2. Hieron. Gebvilerius de libere Germ. c. 6. apud Schardium. Henr. Hermes in fasc. Juris c. 7. n 25 Carion in Chron. l. 3. Ger. Mercator in Germ. & passim AA. (b) Carion Chron. l 3. in Carolo M. (c) Kranzius Saxon, l. 2. c. 23. Joan. Palatius l. 1. c. 8. n. 54. (d) Eginardus. Nauclerus gener. 27 Conringius. Baronius ad A. C 800. (e) Carion. Naucler. gener. 28. (f) Kranz. Sax. l. 2. c. 23. Palat. l. 1. c. 8. (g) Ibidem, & Goldastus Constit. Imp. tom 3. ad an 788. (h) Naucler. gen. 28. Eginard apud Calvisium ad A. C 811. & 814. (i) Baron. ad A. C. 836 n. 5. (k) Alb. Abb. Stadensis apud Calv. ad A. C. 826. (l) Baron. ad A. C 807. n. 5. (m) Jac. Wimphel. rer. Germ. c 11. Goldastus Const. Imp. tom. 3. (n) cap. 3. Ludovicus. d. 63. Aimoinus l. 5. c. 11. (o) Wimphel. c. 11. Bar. ad A. C. 835. n. 45.

qua ad meridiem portio cederet. Cùm, fibi & Pietati ut impenfiùs vacaret, fufcepto etiam religiofo habitu in Prumienfe cænobium à fe nuper inftitutum conceffit; mox ibidem penitus humanis ereptus, vivere defiit A. C. 855. ætatis 60. Imperii ab obitu parentis gefti anno 15. à coronatione 32. Symbolum: *Par fit fortuna labori*: Sed aliud apud Nic. Reufnerum: *Ubi mel, ibi fel,*

LUDOVICUS II. patre Lothario natus, fufceptum ab eodem Imperium Occidentis adversùs Orientis Imperatorem Bafilium, qui illud jam abrogatum Francis volebat, fortiter afferuit & propugnavit. (a) Saracenos magno impetu Italiam ingreffos primùm armis repreffit; expeditione alterâ ereptis etiam urbibus & exercitu cæfo, profligavit. Corficâ inde Infulâ ordinatâ, & pace per Italiam redditâ, Mediolani, nullo fui fanguinis hærede relicto, extinguitur A. C. 875. Imperii 20. ætatis 53. ibidem in Ecclefiâ D. Ambrofii fepulturæ mandatus. Princeps pius & mifericors, Juftitiæ deditus, fimplicitate purus, Ecclefiarum defenfor, & pupillorum pater dictus; (b) pari cum Majoribus fuis in religionem ftudio, in Wormatienfi conventu Conftitutionem vulgavit pro firmanda libertate Ecclefiaftica. (c) Symbolum illius apud Nic. Reufnerum: *Par fit fortuna labori.*

CAROLUS II. cognomento *Calvus*, tertius è filiis Ludovici Pii, Franciam hæreditate patris acceptam, ac bello etiam adversùs fratrem Lotharium vendicatam Rex tenuit annis ferè 27. Occupatâ celeriter poft mortem Ludovici II. Imperatoris Longobardiâ, Imperium etiam retulit contra fratrem Ludovicum tum Germaniæ Regem, qui illud, ut ætate, fic Jure prior, fruftra requifiverat. Coronâ inde Auguftali à Joanne VIII. Pontifice infignitus, Normannos Franciæ, & confini Lotharingiæ diu infeftos, armis tandem eò coëgit, ut & pacem fupplices per Regem fuum Rothifredum ultrò expofcerent, & cum eodem in unitatem fidei Chriftianæ tranfirent. Pacatâ fic Galliâ, ac fanctiffimis legibus inftitutâ, ad fuccurrendum etiam periclitanti Papæ & Ecclefiæ animum adjecit; datis in publicum Conftitutionibus, quibus & cultum Ecclefiarum, & Servorum DEI honorem ac obfervantiam, tum etiam Epifcoporum erga fedem Apoftolicam fubjectionem ftabilivit. (d) Literatorum fui temporis Mæcenas dictus, ut qui Arabum copiofa eáque erudita volumina Regiis fumptibus latinitate donavit, (e) Auctâ plurimùm re divinâ & Monafteriis multis conditis, (f) Mantuæ ex veneno per Hebræum Medicum propinato moritur A. C. 877. ætatis 55. Regni Franc. 27. Imperii 2. Corpus Vercellis appofitum, fed lapfo feptennio ad S. Dionyfii in Gallias translatum. Symbolum: *Juftiniani injuftitia perit.* Vel ut meliùs Reufnerus: *Juftitiam injuftitia parit.*

LUDOVICUS III. cognomento *Balbus*, patre Carolo Calvo progenitus A. C. 844. quo è vivis fublato, jure fanguinis Franciæ primùm coronam accepit; dein, cùm Joannem VIII. Rom. Pontificem ab hoftibus profugum pro dignitate utriúsque recepiffet, Imperator etiam Trecis ab eodem eft coronatus. (g) Sed oftenfus potiùs, quàm datus Imperio, dum & pacatis jam rebus Pontificem urbi fuæ reftituit, & patruos etiam fuos in concordiam revocaret, veneno (ut refert Paulus Æmilius) Compendii extinguitur, unius anni & aliquot menfium Rex & Imperator. A. C. 879. ætatis 35.

CAROLUS III. cognomento *Craffus*, Ludovici filius; illius, qui jam Lotharii fratris, & Ludovici I. temporibus ex hæreditate ac fimul conventione Salfeldienfi Germaniam folam Regis titulo in annos 36. laudabiliter obtinuerat. Ab hoc illi Lotharingia, Suevia & Alfatia obtigit; Imperium ipfe fibi paravit, dum à morte Prædecefforis per Joannem VIII. Pontificem in Italiam evocatus, populantes Longobardiam Saracenos disjecit. (h) Slavis bello domitis, dum Normanni cum ingenti exercitu in Galliam effufi regnum fœdè turbarent, à Francis Germanorum fubfidia expetentibus communi fuffragio in Galliâ Rex affumptus eft Carolus, unitâ rurfum, quæ regnis poft Carolum M. divifis jam imbecillior erat, Imperii Romano-Germanici potentiâ. (i) Sed quoniam morbo fractus in contemptum apud fuos veniffet, illud ipfum jam feptennio geftum Imperium in conventu Principum Triburii habito abdicavit. Ex quo non diu Superftes feliciùs vitam, quàm nuper dignitatem deferuit; nam mortuo infpectantibus multis cælum apertum eft, ut monftraretur, dignum cenferi à DEO fuperna patriæ, qui fpretus ab hominibus poteftate terrenâ exuitur. (k) Deceffit fine liberis A. C. 888. Imperii 7. Sepultus propè Conftantiam in cænobio Reichenavienfi. Symbolum: *Os garrulum intricat omnia.*

ARNULPHUS, è Carolomanno Ludovici itidem Germaniæ Regis filio genitus, Franconiæ, Bavariæ, & Carinthiæ Dux; ob probatam bellis virtutem ex confenfu Principum abrogato Carolo Imperator fuffectus eft A. C. 887. Normannos Wormatiam ufque progreffos, paucis ad vincula fervatis, ad internecionem cecidit; inter eos Reges duo, & è gregario milite nonaginta millia numerati; ex Arnulphi acie ferè nemo defideratus; Ferro & vitæ fuperftites Chrifto funt initiati. (l) Cognitâ Cæfaris tantâ virtute, eum Protectorem Italiæ adversùm Saracenos illum Formofus tum Pontifex evocaverat; fed turbatâ adhuc Germaniâ impeditum. Mox tamen contra Widonem coronâ Italiæ infolentem bis exercitum, & femper victorem tranftulit. Expeditione harum alterâ Romam occafione lepufculi innocenti ftratagemate victor ingreffus, coronam Imperii à Pontifice, & Fidei juramentum à Pop. Rom. accepit. (m) Widone in ordinem jam redacto, & Spoleto etiam expugnato, dum arci Camerinæ, in quam fe uxor ejufdem receperat, copias admoveret, aftu fœminæ venenum haufit; à cujus fenfu Germaniam fuam cum exercitu repetens Oettingæ moritur. A. C. 899. Imperii 12. Ratisbonæ ad S. Emeranum fepultus. Symbolum: *Facilis defcenfus averni.*

Sub hæc tempora jam Francorum & Germanorum nomen exofa Italia, plures fuo è gremio Imperatores delegit; quos, quia nihil ad Germaniam noftram faciunt, breviter enumerare fufficiat: Wido, feu Guido, Imper. ann. 8. Ludovicus filius Bofonis, ann. 4. Lampertus, ann. 7. & poft annos 4. Interregni Berengarius ann. 9. (n)

Memorabilia Imperij.

POft extinctum A. C. 476. in Momyllo Auguftulo Occidentis Imperium, ac vexatam inde Longobardorum Regum tyrannide annis 324. Italiam, in Carolo M. feliciùs reftauratur A. C. 800. Mox ab ipfo Orientis Imperatore Nicephoro concordiam petente confirmatur; Sic ftatutis limitibus, ut, quod ultra Neapolim fitum, penes Græcos, & Orientem: quod citra, penes Occidentis Imperium, perpetuo Jure maneret. (o) Ducto exhinc ufu Bicipitis Aquilæ, de qua illud:

Picta biceps Aquila hinc Occafum, hinc refpicit Ortum;
Alter ait noftri eft, Cæfaris alter erit. (p)

De confenfu ac imperio Caroli & Pontificis ftatutum refert Jordanus, (q) ut Imperium Romanorum apud Electionem Canonicam Germanorum in perpetuum effet. Quamvis integro hoc fæculo ex privilegio Augufti Sanguinis Imperatores conftituti legantur.

Fertur etiam, jam à temporibus Caroli M. fancitum effe, ut Imperatore Italiam fubeunte, Magiftratus omnes & dignitates vacarent; tum cuncta ad nutum Cæfaris fecundùm legum præfcripta tractarentur. Infuper ut Vafalli Principes in fignum fubjectionis ex omnibus, quæ terra producere folet, neceffariis in Cæfaris aut Regis coronandi, & militum alimentum fufficerent. Ut præterea Electum Regem ad coronam capeffendam Romam ufque, fub pæna caducitatis Feudi, Vafalli Germaniæ comitarentur. (r)

Imperiales Conventus feu Curiæ, quæ fucceffu temporis Comitia dicta funt, jam à Carolo M. ufurpatæ; cujufmodi ille expeditionibus belli, aliisque Imperii difpofitionibus frequentes præmifit, ut Duriæ, Wormatiæ, Paderbornæ, ac alibi, dum in Saxones arma moveret. (s)


Comitum & Baronum nomen Carolo itidem M. debet originem; ut qui poft devictam Catalauniam, Præfectos ibidem à fe conftitutos eo nomine primus compellavit. (t)


Divifo poft mortem Ludovici Pii imperio, primus Regis Germanorum nomine Ludovicus Filius Germaniam fejunctam tenuit; cujus termini jam tunc conftituti funt ad Rhenum, cum adjecto etiam trans-Rhenum Palatinatu inferiore. Lotharingia, media inter Galliam & Germaniam ditio, à Lotharii Imperatoris cognomine filio primùm compellari cæpta penes Imperium remanfit. (u)

Flandria in Comitatum evecta à Carolo Calvo, primum Comitem accepit Balduinum. (x) Hollandia itidem; cui Comes præfectus eft Theodoricus, ipfe & Succeffores Hollandiæ Comites Cæfarum olim Aquiliferi. (y)

A Carolo Craffo initium ductum eft fignandi Acta publica annis numeratis à Chrifto nato; quæ priùs duntaxat annis imperantis tum Cæfaris notari confueverant. (z)

(a) Bæclerus Sæc. 9. p. 129. Baron. ad A. C. 871. n. 51. (b) Regino apud Baron ad an. 875. n. 1. (c) Goldaftus Conftit Imp. tom. 3. ad an. 862. (d) Goldaftus Conftit. Imper tom. 3. ad an. 863. (e) Baron. ad A. C. 876. n. 39. (f) Jac. Wymphel. rerum Germ. cap. 14. (g) Carion in Chron l. 3. in Carolo Calvo. Joan. Palatius l. 6. c. 3. n. 23. (h) Aimoinus. Nauclerus Gener. 30. Baron. ad A. C. 881. n. 7. (i) Joan. Palat. l. 7. c. 1. n. 7. Carion in Chron. (k) Annal. Metens. & Regino apud Joan. Palatium. (l) Wymphel. c. 15. Annal. Fuldens. apud Calvis. an. 89. Carion. l. 3. (m) Sigebertus. Nauclerus. Baronius ad. an. C. 896. (n) Baronius Annal. Eccl. ab An C. 892. ad an. 924. Knichen in hift. Infubr. (o) Naucler. in Chron. gener. 27. Joan. Palatius l. 2. c. 8. n. 54. (p) Klock. de ærar. l. 1. c. 4. n. 2. Theod. Höpingius de Jure Infign. c. 6. n. 220. (q) Lib. de transl. Imper. apud Joan. Palat. l. 14. c. 3. n. 3. (r) Joan. Palat. l. 22. c. 2. n. 31. 32. Beckerus Jurispubl. Rom. Germ. l. 2. c. 4. n. 11. (s) Eginardus in vita Caroli M. apud Herm. Hermetem in fafc. Jurispubl c. 40. n. 2. & cap. 11. n. 133. (t) Garfias Maftrill. de Magiftr. l. 4. c. 2. n 54. Hermes cap. 34. n. 3. Höpingius tr. de Jure Infign. cap. 6. n. 855. (u) Jac. Wymphel. rerum Germ. c. 22. Herm. Conringius de fin. Imper. c. 2. & 3. (x) Nauclerus in Chron. gener. 30. (y) Klock. de ærar. l. 1. c. 4. n 38. Herm. fafc. Juris c. 4. n. 50. Höpingius c. 6. n. 1267. & 1289. (z) Aventinus apud Sethum Calvifium in Chronolog. ad an. C. 888.





Peter Schubart von Ehrenberg in. et del.

C. Engelbrecht et J. A. Pfeffel sc. Vien.

OTTONIS I.
MAGNI CÆSARIS
EXEMPLO OSTENDITUR, PRUDENTIAM
REGNANTIUM PRINCIPUM
ESSE FELICITATEM REGNORUM.



Uisquis Augusti stabilem decorem
Postulas Sceptri, Soliique florem,
Et coronata solidare claras
Fronte tiaras;

Sit tibi celsâ vigil in corona
Sana mens, omnes agitare pronâ
Sortis eventus, Ratioque plausus
Frænet, & ausus.

Flamma Regnantes populata gliscit;
Aula succumbit, Solium fatiscit,
Regna ni firment bene providentis
Pondera mentis.

Sceptra, quæ solers Ratio sagaci
Mente sustentat, nequeunt salaci
Fraude livoris Furiæ ferire,
Vel Stygis iræ.

Regna, quæ præses Ratio capessit,
Hostium frustra rabies lacessit;
Nam throni felix decor invalescet,
Gloria crescet.

Faustitas pleno gremio decoras
Imperî latè cumulabit oras,
Alma pax cunctis pariet cupitæ
Tempora vitæ.

Cæsar hac Otto celebratus arte;
Gessit invicto fera bella Marte;
Quando præsago statuit futuras
Pectore curas.

Ille, Regnantum decus, imperatâ
Mente nil orsus, patriam beatâ
Sorte ditavit, posuitque vivas
Pacis olivas.

Tunc triumphali redimita lauro,
Et coruscanti rutilans ab auro
Æquitas plausit, speciosa cultu,
Lætaque vultu.

Nempe turbatis cynosura rebus
Consili vis est, radiansque Phœbus.
Hac basi nunquam metuent supinam
Regna ruinam.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno Christi 900. ad 1000.

LUDOVICUS IV. Arnulphi Filius, septimum ætatis annum agens Forcheimii à Germaniæ Proceribus ad Imperii fastigium post mortem Patris est evectus; quod aliquamdiu sub tutoribus Hattone Moguntiæ Archiepiscopo, & Ottone Saxone administravit. Primus hic Imperatorum & Regum Germaniæ, qui Coronam à Pontifice non acceperit, quâ tum temporis Berengarius insolens Jus & Imperium Italiâ totâ circumtulit. Ad Danubium propè Arnsburgum acri trium dierum prælio cum Hungaris conflixit; mox cum iisdem de concordia pactus, nec diu superstes, ex mærore obiit Ratisbonæ A. C. 912. ætatis 18. ibidem juxta Patrem in æde Sacra D. Emmerani sepultus. (a) Symbolum: *Multorum manus, paucorum Consilium.*

CONRADUS I. Franconiæ & Hassiæ Dux, qui, quòd Otto Saxoniæ Dux senium causatus delatum Imperium recusâsset, demortuo sine liberis Ludovico Imperator successit; Aquisgrani tantùm ab Hattone Moguntino coronatus. Princeps egregius Prudentiâ, & manu æquè validus, aliisque virtutibus insignis, potentissimos Germaniæ Duces, ac pro Imperio æmulos sine cædibus flexit. (b) Hungarorum violentas irruptiones aliquoties strenuè repulit, finésque suos non sine damno & dedecore repetere hostes coëgit. (c) Morbo supremo correptus convocatis Imperii Principibus, in Henricum Ducem Saxoniæ, æmulum nuper suum ac sæpius victorem reponit Imperium; in hoc etiam laudatissimæ Prudentiæ Princeps, quòd virtutem in hoste respiciens privatis odiis Imperii & Reipublicæ commodum præhabuerit. (d) Mortuus Quedlinburgi in Saxonia A. C. 919. Imperii 7. Sepultus in Fuldensi cænobio. Symbolum: *Fortuna, cùm blanditur, fallit.*

HENRICUS I. Dux Saxoniæ, *Auceps* dictus, quòd aucupio occupatus Electionis suæ nuncium cum Insignibus Imperatoris acceperit. Frizlariæ ab Archiepiscopo Moguntino coronatus, ac ad capessendam etiam Italiæ coronam à Joanne X. Pontifice invitatus, (e) prius habuit Imperio ab incursu hostium laboranti consulere. Inter hos, Sueviæ & Bavariæ Duces ad obsequium revocavit; Danorum Regem Imperii vectigalem effecit; Henetos item & Sorabos subjecit. Sclavos, Dalmatas, Boëmos, Normannos, Obotritos, aliósque armis coërcuit. Contra Hungaros pugnaturus, præmisso de tollenda Simonia & blasphemia voto, angelos etiam auxiliatores spectabiles in exercitu censuit. Cecidit in eo prælio plusquam 50. hostium millia, paucis tantùm cladis nunciis redire jussis. (f) Sic pacatâ Germaniâ, Pater Patriæ ab exercitu compellatus, præter Imperium Ecclesiam etiam exornare aggressus est; instituto Episcopatu Wallerslebensi, qui à Filio dein Successore in Archiepiscopatum Magdeburgensem translatus; præterea Misnensem, Havelbergensem, & Brandeburgensem ecclesias condidit cum cænobio Virginum, cui Filiam suam Machtildem præfecit. (g) Conditis multis urbibus, aliisque præclaris belli & pacis artibus institutis de Imperio ac præsertim Germaniâ benè meritus, dum de itinere in Italiam cogitat, apoplexiâ correptus decessit magno subditorum luctu Himmelunæ Saxon. castello A. C. 936. ætatis 60. Imperii ferè 17. Quedlinburgi in Basilica D. Petri sepultus. Symbolum: *Piger ad pœnas, ad præmia velox.*

OTTO I. cognomento *Magnus*, & *Amor mundi* dictus, quem ad procumbentem orbis statum reparandum donavit DEUS, dum primus à Carolo Magno collapsum Romanorum Imperium erexit iterum, & Europam omnem augusta prudentia sua pacatam reddidit. (h) Natus Patre Henrico I. & ejusdem testamento in Imperio Successor nominatus, Aquisgrani solenni ritu inunctus est. Bellum auspicatus in consanguineos, qui Imperio illum expulsum quærebant, gloriosè omnes & fortiter devicit, aliis venia data, aliis pro temeritate multatis. In Henricum Fratrem cognomento Rixosum dum moveret, genuflexus orationem prælio præmisit; accepto victoriæ & belli confecti nuncio rectà in Ecclesiam DEO de more gratias relaturus descendit. (i) Eadem pietate per Ecclesias ferè omnes Germaniæ gratias DEO persolvi imperavit, ubi ingressos Bavariam cum centenorum millium exercitu Hungaros ad Leccum fluvium internecioni dedisset, captis ac in trophæum suspensis tribus eorum Ducibus. (k) In Bohemos semper rebelles continuis ferè 15. annis acerrimè pugnavit; devicto demum Boleslao Duce, quem utpote impium in Wenceslao Fratre parricidam, ac hostem Germaniæ ad subjectionem & delicti pænitentiam, tum etiam ad religionis Christianæ in ditione sua libertatem victor coëgit. (l) Ludovicum etiam Francorum Regem adversùs Hugonem Parisiorum comitem armatus regno restituit. Ludolphum Filium, & Conradum Lotharingum generum obsistere ausos sine prælio exarmavit, venia deprecantibus data. Ob hanc belli prudentiam ab ipso Romano Pontifice Agapeto, ac Principibus Italiæ reliquis adversùs Berengarii II. & Adalberti Filii tyrannidem evocatus, arce primùm Canusio hostem rejicit, eliberata, ac in Conjugem ducta Adelhaida. Romæ omnium plausu exceptus, à Joanne XII. & non Leone VIII. ut plures sentiunt, contra Krantzium, Imperii coronam accepit; (m) confirmatis tum donationibus, quas antecessores pro Ecclesia Romana fecissent. Berengario in Comitiis Augustanis supplici, ex Principum Imperii consensu, Italiam Feudi titulo reliquit, addita in annos singulos 130. librarum auri pensione præstanda. Qui

tamen

(a) Sigebertus apud Calvisium ad A. C. 912. Aventinus Annal. Bojar. (b) Bibliotheca German. Mich. Herzii part. 3. (c) Ibidem. (d) Carion. Naucler. gener. 31. Joan. Palat. lib. 10. c. 1. (e) Kranz. Sax. l. 3. c. 2. (f) Aventinus l. 4. Kranz. l. 3. c. 8. Palat. l. 11. c. 1. n. 17. (g) Kranz. l. 3. Bucelinus Germ. Sacr. parte 2. (h) Carion. Chron. l. 3. (i) Sigebertus ad A. C. 940. Kranz. l. 3. c. 14. 15. 19 (k) Witikindus Annal. Sax. l. 3. Udalricus Mutius in Chron. Germ. l. 13. (l) Sigonius ad A. C. 940. (m) Luitprandus, Sigebertus, Otto Frisingens. apud Palat. l. 12. c. 2. n. 924.

tamen mox res novas moliri compertus, captúsque cum Filio exul in Germania vitam clausit Bambergæ. (a) Reliqua Ottonis bella in Slavos quinquies victos, tum in Græcos & Saracenos Italia pulsos fuêre. Ex alio hostium subactorum numero Danos unà cum Haraldo Rege, Sorabos, Henetos, & Boëmos ad Ecclesiæ Societatem perduxit. (b) Episcopales Ecclesias fundavit complures, ut Havelbergensem, Altenburgensem, Misnensem, Brandeburgensem, Citicensem seu Ceitzensem, Mersburgensem, & Magdeburgensem; in quarum postremam 19. auri tonnas (ut vocant) impendit. Urbem ipsam Magdeburgum ad Edithæ Conjugis primæ preces instituit, vel restauravit. (c) Eadem in rem sacram munificentia donationes fecit amplissimas, diplomatis singulis confirmatas. Tandem ex fracta jam ætate supremum ferè vitæ tempus persentiscens, indicto Quedlinburgi Imperiali conventu præsentibus Imperatoris Græcorum, Romanæ Urbis, aliorúmque Italiæ Principum, Regulorum Africæ, Hungarorum, Danorum, Bulgarorum, Slavorúmque Legatis, & Poloniæ ac Bohemiæ Ducibus, ultimùm Imperii rebus in posteris etiam prospexit. (d) Conventu dissoluto Memlebiam in Thuringiæ cœnobium translatus placidissimè vitam clausit A. C. 973. Imperii 37. ad Editham primam Conjugem, dein numero Beatorum adlectam, Magdeburgi sepultus, cum sequenti Epitaphio:

Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ;
Rex, decus Ecclesiæ, summus honor patriæ.

Symbolum ejus fuit: *Aut mors, aut vita decora.*

OTTO II. cognomento *Rufus*, jam septennis ab Ottone patre in consortem Imperii adsectus, & à Pontifice Romæ coronatus; sub signis paternis militiæ rudimentum contra Græcos in Calabria & Apulia posuit. Illo adnitente Theophaniam Constantinopolitani Imperatoris Filiam in Sponsam accepit, ac in dotem cum ea ditionem omnem, quam hactenus adhuc reliquam in Italia Græci tenebant. (e) In Germaniam redux Lotharium Galliæ Regem consobrinum suum, à quo aliquam prior cladem acceperat, per maximam Franciæ partem & Parisios ultra fugitivum victricibus armis insequitur, cuncta cæde & incendiis complet, templis DEO sacris exceptis. Belli causa erat, quòd Lotharius Rom. Imperio justa non solveret, séque legitimæ Imperatoris Dominationi subduceret. (f) Secuta inde conventione pacifica, Germaniam in perpetuum abjurat Lotharius, se & liberos Augusto commendat. Carolo Lotharii Fratri Lotharingiæ Ducatus in tutelam tantùm committitur. (g) Cæsis Ducum suorum industria ad internecionem in Saxonia Wandalis, Italiam repetens Sclavoniam ipse & Dalmatiam subjugat; Saracenis repulsis Tarentum eripit; redintegrato in eosdem simul & Græcos prælio, desertus ab Italo milite, ac interceptus ab hostibus linguæ Græcæ beneficio & natatu elabitur; multatis graviter desertoribus, & hostibus nova mox acie superatis ignominiam ultus est, tanta clade, ut passim *Pallida mors Saracenorum*, à devictorum numero diceretur. (h) Comparatam ex triennali Longobardorum tributo, & fusam auro sexcentarum librarum Crucifixi effigiem Paderbornensi Ecclesiæ in Germaniam dono transmisit. Thesauros reliquos sic partitus, ut portio prima Papæ & Ecclesiæ, pauperibus altera, Conjugi viduæ & liberis tertia, quarta Consiliariis & Domesticis Ministris obtingeret. (i) Par futurus, si per ætatem licuisset, Magno parenti Imperator, post comitia Veronæ habita, Romæ in spe ætatis extinguitur A. C. 983. ætatis 29. Imperii 10. Mens. 7. coronæ susceptæ 15. ibidem in Basilica D. Petri sepultus. Symbolum: *Cum hominibus pacem, cum vitiis bellum.*

Epitaphium: *Cujus ad Imperium tremuêre Duces; tulit hostis*
Quem Dominum, populique suum coluêre parentem:
Otto decus Divum, Cæsar clarissime nobis
Immeritis rapuit lux te septena Decembris.

OTTO III. Mirabilia Mundi, ob singularem prudentiam dictus, ut ait Carion, & ob Sapientiam tenera adhuc ætate rarissimam. Natus Patre Ottone II. matre Theophania, à qua ceu cum lacte lingua græca imbutus Germanorum fortitudinem cum prudentia Græcorum conjunxit. (k) Alterum ætatis annum attigerat, cùm Parente Romæ defuncto à Principibus Germaniæ Aquisgrani Imperator salutatus est & coronatus; Willigisi interim Moguntini Archipræsulis & matris, dum adolesceret, tutelæ commissus. (l) Minoratu exemptus indicto Coloniæ Imperiali conventu more majorum & ipse Italiam subire constituit. In ea Rex Longobardorum Mediolani, tum in urbe Imperator Romanorum unacum augusta Conjuge Maria Arragonia à Gregorio V. Pontifice initiatus. In Germaniam ad reprimendos Slavorum motus reversus, eosdem simul & Danos perduelles multa cæde perculsos ad obsequium reduxit. Sed evocatus iterum in turbantem omnia Romæ Crescentium Consulem, ac cum exercitu urbem ingressus turbatorem ex mole Hadriani extractum suspendio perfidiam luere jussit. Dum pari justitia in reliquos seditionis complices animadvertit, ac populo contumaci leges constituit, tumultu invalescente, sed moderante tamen Hugone Marchione Hetruriæ, ægrè manus Romanorum evasit. Ad hos penitus coërcendos dum reparato exercitu urbi appropinquat, hausto veneneto poculo, ut Krantzius; vel ut alii, ex submissis ab uxore Crescentii ac veneno tinctis chirothecis ad oppidum Paternum extinguitur A. C. 1002. ætatis 30. Imperii 18. Corpus ejus in Germaniam delatum Aquisgrani ab Henrico II. Successore honorificè conditum est. (m) Fuit Otto, ut præter alios refert Sigonius (n) bellica virtute Avo quidem inferior, Religione verò ac Pietate & Patre & Avo multò superior. Sæpius, feria quinta excepta, hebdomadem integram jejunus exegit, eleemosynis in pauperes & Ecclesiam erogatis. Extat apud citatum Sigonium & Goldastum diploma, quo Romanis Pontificibus octonos Italiæ comitatus, Patrimonium S. Petri dictos, in perpetuum donatione firmavit. Symbolum: *Unita virtus valet.*

Memorabilia Imperij.

HOc sæculo à Conrado I. Francorum Imperatorum, & ex stirpe Caroli M. postremo Imperium ad Germanos Saxones transiit, duravitque penes illos ad initium usque Sæculi sequentis.

Urbes Germaniæ plures ab Henrico I. munimentis firmari cœptæ sunt. Leges ab eodem latæ, de armandis in omnem belli eventum civibus, & ruricolis, è quibus nonus quisque in urbes transferretur, alendus sumptibus publicis & bellicis artibus instituendus. Ampla ob id urbibus privilegia donata. (o) Nobilitatem etiam Germanorum, ut ad artes militiæ provocaret, Ludos Equestres seu Hastiludia legibus datis instituit; in quorum prima Solennitate, cui Henricus ipse Magdeburgi præfuit, nongentæ septuaginta quatuor Ducum, Principum, Comitum & Baronum galeæ conspectæ sunt. (p)

Ab eodem in Imperii finibus limitanei Principes seu Marchiones constituti; Schleswicensis contra Danos, contra Vendos & Henetos Brandeburgicus, contra Gallos Badensis & Hochenbergensis, Misnensis contra Bohemos, Silesios & Polonos, adversùs Hungaros Austriacus, quo nomine primus fuit Leopoldus ex Illustri Comitum Babenbergensium familia, vel (ut Trithemius refert) Sueviæ Dux. Hi omnes cùm Barbaris sæpè fractis multa eriperent, paulatim aucta ditione sua & potentia magnis Principatibus originem dedêre. (q)

Per Ottonem M. Rex Poloniæ coronatus; & Dux Bohemiæ armis subactus Vasalli accesserunt Imperio. (r)

Ejusdem ordinatione Archiepiscopus Magdeburgensis in Primatem Germaniæ evectus. (s) Daniæ regnum, ceu feudum Imperio subjectum. (t) Belgii item magna pars, & Burgundia tota Imperio vendicata. (u) Thuringia, defuncto ejusdem Landgravio, Episcopatui Moguntino adjecta. (x)

Idem Hermannum Billingium, à quo reliqua descendit Saxonum Electorum series, Saxoniæ Ducem, & sui vice etiam in posteris Gubernatorem instituit. (y) Constitutiones edidit de raptu. Monetæ falsificatione, Latronibus persequendis & plectendis. Successione nepotum, Warendatione, Advocatis, feriis, &c. (z)


Imperante Ottone II. Lotharingia tota à Gallis ad Germanos & Imperium rursum translata est. Ea portio, quæ nunc Lotharingiæ nomine venit, Carolo Duci feudi titulo relicta, reliqua Trevirensi, Coloniensi, & Leodiensi Episcopis obtigit. (aa)

Ab Ottone III. rursus sancitum, & à Romano Pontifice Gregorio V. approbatum; ut non nisi è gente Teutonica Imperio Romano-Germanico præficeretur. (bb) Institutum præterea Electorale Septemvirorum Collegium, penes quos Jus esset deligendi caput Imperii, dum hactenus à Caroli M. ætate aut Successione sanguinis, aut communi omnium Imperii Principum suffragio Imperator assumeretur. Id, quod inter alios ad hunc Cæsarem & sæculum præsens referunt Bellarminus, (cc) Joan. Nauclerus, (dd) Jacobus Wymphelingius, (ee) Philippus Cluverius, (ff) Lupoldus Bambergensis, (gg) Alvarus Pelagius, (hh) Joan. Villanus, (ii) Hermannus Hermes, (kk) Martinus Polonus in Ottone III. Platina, Krantzius, Trithemius apud Theod. Höpingium, &c. (ll) quorum aliquos vide apud Joannem Palatium. (mm) Aliorum tamen opinione Institutio isthæc post Friderici II. obitum referenda videtur, de qua suo loco.

Alsatia ab eodem in Landgraviatum, eùmque duplicem evecta, ex parte ad Comites Habspurgi devoluta est; (nn) nimirum ea, quæ nunc superior; Inferiore ad Comites Oettingenses tunc transmissâ.

In Italia ob frequentiorem Imperatorum absentiam Vicarius primus institutus est Hugo Thusciæ Marchio, ab aliis Brandeburgensis dictus. (oo) Illi, donec Cæsar alio Marte occupatus abesset, statuendi & adimendi urbium Magistratus, Jura populi Immunitatésque tuendi, militis in belli eventus sustinendi cura demandata.

(a) Kranz. l. 3. c. 4. Sigon. de Regn. Ital. l. 6. (b) Biblioth. Germ. Mich. Herzii part. 3. (c) Carion. Kranz. l. 3. c. 23. 24. (d) Witikindus l. 3. Sigon. l. 7. (e) Aventinus & Witikind. apud Calvisium ad A. C. 970. (f) Krantzius apud Herm. Hermetem fasc. Juris. cap. 21. n. 5. (g) Carion. l. 3. Avent. l. 5. (h) Joan. Palat. l. 13. c. 2. Sigon. l. 7. (i) Krantzius l. 4. c. 19. Ditmarus l. 3. (k) Joan. Palat. lib. 14. c. 2. n 8. (l) Ibidem n 5. 9. 10. & 17. (m) Sigonius l. 7. Ditmarus apud Calvisium ad A C 1001. & 1002. (n) Libr. 7. de regno Italiæ. (o) Kranz. lib. 3. cap. 7. Goldastus Institut. Henrici I. Imper. Schaffnaburgensis apud Calvis. ad A. C. 924. (p) Goldastus l. cit. Theod. Höpingius tr. de Jure Insignium. cap. 4. n. 25. (q) Kranz. l. 3. c. 7. rerum Wandal Bæclerus Hist. sæc. 9. pag. 279. Herm. Hermes fasc. Juris. cap. 33. n. 4. (r) Ibidem c. 4. n. 30. & Sigonius ad A. C. 940. (s) Joach. Steph. de Jurisd. Eccl. l. 4. c. 5. n. 32. apud Herm. Hermetem fasc. Juris. c. 29. n. 6. (t) Helmod. c. 9. Kranz. l. 3. c. 25. (u) Nauclerus gen. 33. Carion. l. 3. Biblioth. Germ. Herzii part. 3. (x) Fabricius apud Calvisium ad A. C 965. (y) Helmodus in Chron. Slavorum. l. 1. Herm Hermes fasc. Juris c. 24. n. 5. (z) Goldastus Constit. Imper. t. 3 (aa) Carion Chron. l 3. Avent. l. 5. Biblioth. Germ. Herzii parte 3. (bb) Cuspinianus in Ottone III. Buxdorffius ad A. B. concl. 31. Besoldus de Success. & Elector. 2 Diss. 1. n. 9. apud Beckerum in Jure publ. Romano-Germ. l. 2. c. 2 (cc) De transl. Imper. l. 3 c. 1. (dd) Chron. vol. 2. gener. 34. (ee) Rerum Germ. cap. 20. (ff) Introd. in Geogr. lib. 3. c. 8 (gg) Lib. de Juribus Imper. cap. 3. (hh) Lib. 1. de planctu Eccl. artic 41. (ii) Lib. 4. histor. flor. c. 2. (kk) Fasc. Juris publ. cap. 16. n 1. & 2. (ll) Tract. de Jure Insignium part. 4 c. 6. n. 600 (mm) Aquilæ Saxonicæ lib. 14. c. 3. (nn) Gerardus Mercator in Alsat. tab. (oo) Calvisius ad A. C. 991. Joan. Palatius lib. 14. cap. 2. n. 102.


Sæculum III
Romano Germani
Pietate Sancti Henrici

IN D. HENRICO II.
IMPERATORE SANCTISSIMO
EXHIBETUR FORTUNATA CONJUNCTIO
MAJESTATIS ET PIETATIS.

*Uid trophæa Martiali*
Cincta præstant Laureâ,
Et corona Principali
Fronte lucens aurea?
Pulsa Regno, dum Tonantis
Cura solers exulat;
Nec tiaras Imperantis
Vis Olympi copulat.
Sceptra frustrà bracteatâ
Intumescunt purpurâ,
Vana sunt, quæ laureata
Fama spargit, murmura;
Indecora quando cultù
Templa squalent Numinis,
Nec refulget clara vultu
Flamma sacri luminis.
Firma Regni stat potestas,
Nixa cæli culmine;
Hanc nec artes per scelestas
Styx lacesset fulmine.

Ira frustrà tela vibrat
Martis in negotio,
Sacra fasces quando librat
Principis devotio.
Hæc honoris est palæstra,
Ad triumphos evocat;
Vera laudis est sequestra,
Et trophæa collocat.
Cæsar hoc Henricus, aræ
Advolutus, senserat,
Sæculari nam tiaræ
Sacra templi junxerat.
Luce fulsit quàm serena,
Quam secundo nomine?
Sceptra Majestate plena
Quo rotavit omine?
Nempe Regna sunt beata,
Eminent victoriâ,
Quando Divis est dicata
Imperantum gloria.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno 1000. ad 1100.

HENRICUS II. cognomento *Claudus*, à crure in tumultu Papiensi luxato, sic dictus, *Sanctus* verò à vitæ integritate. Natus Patre Henrico Ottonis M. Nepote, qui Saxonici sanguinis Princeps tum Bavariam titulo Ducis obtinuit. (a) Defuncto sine liberis Ottone III. dum proximus antecessores Cæsares cognatione contingeret, ad culmen Imperiale evectus est, & Aquisgrani à Willigiso Moguntino Archipræsule coronatus. Primam ætatem Moderatore S. Wolffgango Ratisbonensium Episcopo excoluit; à quo dein jam vitâ functo per somnum monitus, ut inscriptos muro characteres & *post sex* signatos inspiceret, præsagium accepit obtinendi *post sex* annos Imperii. (b) Competitores in illo Eccardum Misniæ Marchionem, & Hermannum Suevorum Ducem habuit; Sed iis etiam superatis, alterum in Italia turbatorem Arduinum aggressus, regno & dominatu violento dejecit; Veronæ, Brixiæ, Bergomi, & Papiæ ubíque victor receptus, & in postrema Longobardiæ Rex inauguratus est. Turbis inde in Germania subnascentibus evocatus, Henetos ad pristinam Deorum Gentilium superstitionem relapsos edomuit; Ecclesias ab iisdem dirutas instauravit. Episcopatum præterea ex Cunegundis Conjugis dote liberalissimè ditatum Bambergæ instituit; cujus ecclesiam, profugus seditione Romanorum, & receptus ab Henrico Benedictus VIII. Pontifex, solenni ritu sacravit, exornantibus Sollennitatem septuaginta ferè Episcopis. (c) Mox urbem cum Ecclesia D. Petro, ejusdémque Vicariis pleno jure vectigalem subjecit, constituens in annos singulos equum albi coloris cum omnibus ornamentis & phaleris, ac centum marchis argenti Rom. Ecclesiæ ceu Dominæ persolvendos. (d) Sed Bambergæ Imperio iterum vendicatæ Henricus III. Imperator post annos 32. Beneventum substituit. (e) Benedicto in Apostolicam sedem reducto, in Italiam rursus & Romam Henricus se contulit; ibidem cum Cunegunde sua, recepta Imperiali corona, Augustus renunciatus, reliqua inter insignia pomum aureum pretiosissimis in quadrum gemmis circumdatum, & insertâ desuper cruce adornatum accepit; velut admonitus, ut orbem universum hoc munere signatum in S. Crucis obsequium pro officii potestate transferre contenderet. (f) De quo Gothofredus Viterbiensis interpretem doni Pontificem sic præfatum tum cecinit:

Crux superest pomo, cæli super insita dono,
Suscipe corde bono, Rex, quæ tibi mystica promo.
Téque sedente throno prospice, quid sit homo.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata Crucis tibi sint reverenter habenda;
Servulus esto DEI, qui tua Sceptra regit. (g)

Cæsar interim constitutione edita Urbem Romanam, ac ea omnia, quæ ab antecessoribus D. Petro ac Apostolicæ sedi donatione jam cesserant, denuò iisdem confirmat, amplissimè protenso D. Petri patrimonio. (h) Exin rogatus à Pontifice, translato in Italiam extremam exercitu, Græcos pariter & Saracenos, Apulia tota & Calabria expulit; Normannis victoriæ participibus ibidem considere jussis. In ea expeditione, uti & aliàs, pro consueta Sanctissimi Ducis pietate, expiatione delictorum facta, Eucharistico Epulo ante prælium communivit exercitum, tutorésque ac ductores belli Sanctorum è numero Laurentium, Georgium & Hadrianum delegit, ut quos prævio Angelo militares turmas tueri aliquando vidisset. (i) Rebus per Italiam prosperè confectis, dum reditum parat in Germaniam, in Cassinensi cœnobio ægritudine detentus manifesto D. Benedicti ibidem sepulti patrocinio sanitatem recepit; amplissimis exinde muneribus Sancti reliquias, & loci cœnobitas prosecutus. (k) Sanctorum virorum adhuc in vivis agentium consuetudine plurimùm usus, in aspera Styriæ solitudine Romualdum invisit, donato eidem & asseclis Amiati montis monasterio; S. Odiloni Cluniacensi Abbati acceptam à Pontifice coronam dono transmisit; (l) Abbatem Stabulensem S. Popponem ceu parentem in erratis monitorem audivit. (m) Monasteria, aliáque loca pia vel ipse extruxit, vel assignatis reditibus magno numero auxit; & ut cit. Viterbiensis ait:

Catholicas dedit Ecclesias numero quasi mille. (n)

Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano Regi in uxorem sorore sua Gisela, eóque baptizato, ad Christi fidem & Ecclesiæ unionem perduxit. Hungarorum Apostolus, Advocatus S. Petri, & Ecclesiæ defensor acerrimus dictus. (o) Constitutione etiam Drutmanniæ edita ejusdem incolumitati prospexit. Bohemis & Wandalis ad imperia rursum contumacibus, ac ad obsequium reductis, indicto Alstadii Imperiali conventu Successorem in Imperio nominavit Conradum Ducem Franconiæ. (p) Moriturus Abbatibus, Episcopis & cognatis præsentibus Cunegundem conjugem castam & illibatam, Virgo ipse, restituit; accipite, inquiens, qualem mihi tradidistis, Virginem vestram. Vitam tandem beatissimè clausit Bambergæ A.C. 1024 ætatis 55. Imperii 22. mense 5. ibidem in Ecclesia à se erecta sepultus. Multis post mortem prodigiis clarus unà cum Augusta Conjuge in Album Sanctorum relatus est ab Eugenio III. Papa A.C. 1152. Symbolum: *Ne quid nimis.*

CONRADUS II. cognomento *Salicus*, sic dictus, quòd ad Salam Franconiæ amnem possessiones suas teneret. Natus Patre Hermanno Francorum Orientalium Duce, (q) ac à S. Burchardo Wormatiensium Episcopo institutus, prima jam ætate Ordinum ductor sub Henrico II. meruit. Huic probatam in re militari virtutem suam cùm fecisset, à morte Successor nominatus belli stipendium Imperium retulit; sed quod non nisi post biennii interregnum, dissentientibus diu in Electione Principibus, & Cunone Bavaro multùm contranitente, obtinuit, Aquisgrani à Pilegrino Coloniensium Archiepiscopo coronatus; (r) ubi, cùm ad capessenda insignia jam accinctus adstaret, pupillorum & viduarum querimoniis interpellatus, differri jussis coronationis solennibus, miserorum priùs causæ pro æquitate consuluit. (s) sic firmato devictis etiam æmulis per Germaniam Imperio, Italiam, ac Mediolanum primùm descendit; urbem, quòd extincto Henrico ab Imperio desciverat, obsidione cinxit, sed D. Ambrosii ibidem sepulti reverentia nihil ultrà hostile molitus, satis interim habuit Longobardiam reliquam victor subigere. (t) A Joanne XX. Rom. Pontifice

[a] Carion. Chron. l. 3. Biblioth. German. Melch. Herzii part. 3. [b] Ditmarus l. 5. Baron. A.C. 1002. n. 7. Surius ad 31. Octob. [c] Leo Ostiensis l. 2. c. 46. Ditmarus l. 6. [d] Leo Ostiens. loc. cit. Baron. ad A.C. 1019 n. 2. [e] Ostiensis c. 85. Herm: Contractus ad an. 1053. [f] Ditmarus l. 7. Joan. Palatius lib. 15. c. 2. n. 117. [g] part. 19. Chron. apud Theod. Hópingium c. 6. n. 606. [h] Sigon. lib. 8. de regn. Ital. Baron. A.C. 1014. n. 7. [i] Joan. Palat. lib. 15. c. 1. n. 29. Bonfinius dec. 2. l. 1. [k] Leo Ostiens. l. 2. c. 42. 43. [l] Petrus Damiani in vita S. Odilonis. [m] Surius ad diem 25. Jan. [n] Apud Palat. lib. 15. c. 2. n. 178. [o] Sigebertus. Ditmarus l. 6. Baronius A.C. 1010. n. 2. [p] Otto Frising. Leo Ostiens. l. 2. c. 59. [q] Biblioth. Germ. Herzii part. 3. [r] Naucler. Chron. vol. 2. gen. 35. Jac. Wymphel. Epitome rerum Germ. c. 24. [s] Wippo. Goldastus ad an. 1024. [t] Wymphel. loc. cit. Baron. A.C. 1037. n. 2.

jam

IN D. HENRICO II.
IMPERATORE SANCTISSIMO
EXHIBETUR FORTUNATA CONJUNCTIO
MAJESTATIS ET PIETATIS.



Quid trophæa Martiali
Cincta præſtant Laureâ,
Et corona Principali
Fronte lucens aurea?
Pulſa Regno, dum Tonantis
Cura ſolers exulat;
Nec tiaras Imperantis
Vis Olympi copulat.
Sceptra fruſtrà bracteatâ
Intumeſcunt purpurâ,
Vana ſunt, quæ laureata
Fama ſpargit, murmura;
Indecora quando cultù
Templa ſqualent Numinis,
Nec refulget clara vultu
Flamma ſacri luminis.
Firma Regni ſtat poteſtas,
Nixa cæli culmine;
Hanc nec artes per ſceleſtas
Styx laceſſet fulmine.
Ira fruſtrà tela vibrat
Martis in negotio,
Sacra faſces quando librat
Principis devotio.
Hæc honoris eſt palæſtra,
Ad triumphos evocat;
Vera laudis eſt ſequeſtra,
Et trophæa collocat.
Cæſar hoc Henricus, aræ
Advolutus, ſenſerat,
Sæculari nam tiaræ
Sacra templi junxerat.
Luce fulſit quàm ſerena,
Quam ſecundo nomine?
Sceptra Majeſtate plena
Quo rotavit omine?
Nempe Regna ſunt beata,
Eminent victoriâ,
Quando Divis eſt dicata
Imperantum gloria.

Cæſares, Regésque Germaniæ ab anno 1000. ad 1100.

HENRICUS II. cognomento *Claudus*, à crure in tumultu Papienſi luxato,ſic dictus, *Sanctus* verò à vitæ integritate. Natus Patre Henrico Ottonis M. Nepote, qui Saxonici ſanguinis Princeps tum Bavariam titulo Ducis obtinuit. (a) Defuncto ſine liberis Ottone III. dum proximus antecesſores Cæſares cognatione contingeret, ad culmen Imperiale evectus eſt, & Aquisgrani à Willigiſo Moguntino Archipræſule coronatus. Primam ætatem Moderatore S. Wolffgango Ratisbonenſium Epiſcopo excoluit; à quo dein jam vitâ functo per ſomnum monitus, ut inſcriptos muro characteres & *poſt ſex* ſignatos inſpiceret, præſagium accepit obtinendi *poſt ſex* annos Imperii. (b) Competitores in illo Eccardum Miſniæ Marchionem, & Hermannum Suevorum Ducem habuit; Sed iis etiam ſuperatis, alterum in Italia turbatorem Arduinum aggreſſus,regno & dominatu violento dejecit; Veronæ, Brixiæ,Bergomi, & Papiæ ubique victor receptus, & in poſtrema Longobardiæ Rex inauguratus eſt. Turbis inde in Germania ſubnaſcentibus evocatus, Henetos ad priſtinam Deorum Gentilium ſuperſtitionem relapſos edomuit; Eccleſias ab iisdem dirutas inſtauravit. Epiſcopatum præterea ex Cunegundis Conjugis dote liberaliſſimè ditatum Bambergæ inſtituit; cujus eccleſiam, profugus ſeditione Romanorum, & receptus ab Henrico Benedictus VIII. Pontifex, ſolenni ritu ſacravit, exornantibus Sollennitatem ſeptuaginta ferè Epiſcopis. (c) Mox urbem cum Eccleſia D. Petro, ejuſdémque Vicariis pleno jure vectigalem ſubjecit,conſtituens in annos ſingulos equum albi coloris cum omnibus ornamentis & phaleris, ac centum marchis argenti Rom. Eccleſiæ ceu Dominæ perſolvendos. (d) Sed Bambergæ Imperio iterum vendicatæ Henricus III. Imperator poſt annos 32. Beneventum ſubſtituit. (e) Benedicto in Apoſtolicam ſedem reducto, in Italiam rurſus & Romam Henricus ſe contulit; ibidem cum Cunegunde ſua, recepta Imperiali corona, Auguſtus renunciatus, reliqua inter inſignia pomum aureum pretioſiſſimis in quadrum gemmis circumdatum, & inſertâ deſuper cruce adornatum accepit; velut admonitus,ut orbem univerſum hoc munere ſignatum in S. Crucis obſequium pro officii poteſtate transferre contenderet. (f) De quo Gothofredus Viterbienſis interpretem doni Pontificem ſic præfatum tum cecinit:

Crux ſupereſt pomo, cæli ſuper inſita dono,
Suſcipe corde bono, Rex, quæ tibi myſtica promo.
Téque ſedente throno proſpice, quid ſit homo.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata Crucis tibi ſint reverenter habenda;
Servulus eſto DEI, qui tua Sceptra regit. (g)

Cæſar interim conſtitutione edita Urbem Romanam, ac ea omnia, quæ ab anteceſſoribus D. Petro ac Apoſtolicæ ſedi donatione jam ceſſerant, denuò iisdem confirmat, ampliſſimè protenſo D. Petri patrimonio. (h) Exin rogatus à Pontifice, translato in Italiam extremam exercitu, Græcos pariter & Saracenos, Apulia tota & Calabria expulit; Normannis victoriæ participibus ibidem conſidere juſſis. In ea expeditione,uti & aliàs, pro conſueta Sanctiſſimi Ducis pietate, expiatione delictorum facta, Euchariſtico Epulo ante prælium communivit exercitum, tutorésque ac ductores belli Sanctorum è numero Laurentium, Georgium & Hadrianum delegit, ut quos prævio Angelo militares turmas tueri aliquando vidiſſet. (i) Rebus per Italiam proſperè confectis, dum reditum parat in Germaniam, in Caſſinenſi cænobio ægritudine detentus manifeſto D. Benedicti ibidem ſepulti patrocinio ſanitatem recepit; ampliſſimis exinde muneribus Sancti reliquias,& loci cænobitas proſecutus. (k) Sanctorum virorum adhuc in vivis agentium conſuetudine plurimùm uſus, in aſpera Styriæ ſolitudine Romualdum inviſit, donato eidem & aſſeclis Amiati montis monaſterio;S. Odiloni Cluniacenſi Abbati acceptam à Pontifice coronam dono tranſmiſit; (l) Abbatem Stabulenſem S. Popponem ceu parentem in erratis monitorem audivit. (m) Monaſteria, aliáque loca pia vel ipſe extruxit, vel aſſignatis reditibus magno numero auxit; & ut cit. Viterbienſis ait:

Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille. (n)

Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano Regi in uxorem ſorore ſua Giſela,eóque baptizato,ad Chriſti fidem & Eccleſiæ unionem perduxit. Hungarorum Apoſtolus, Advocatus S. Petri, & Eccleſiæ defenſor acerrimus dictus. (o) Conſtitutione etiam Drutmanniæ edita ejuſdem incolumitati proſpexit. Bohemis & Wandalis ad imperia rurſum contumacibus, ac ad obſequium reductis,indicto Alſtadii Imperiali conventu Succeſſorem in Imperio nominavit Conradum Ducem Franconiæ. (p) Moriturus Abbatibus,Epiſcopis & cognatis præſentibus Cunegundem conjugem caſtam & illibatam, Virgo ipſe, reſtituit;accipite,inquiens, qualem mihi tradidiſtis, Virginem veſtram. Vitam tandem beatiſſimè clauſit Bambergæ A.C. 1024 ætatis 55. Imperii 22. menſe 5. ibidem in Eccleſia à ſe erecta ſepultus. Multis poſt mortem prodigiis clarus unà cum Auguſta Conjuge in Album Sanctorum relatus eſt ab Eugenio III. Papa A.C. 1152. Symbolum: *Ne quid nimis.*

CONRADUS II. cognomento *Salicus*,ſic dictus,quòd ad Salam Franconiæ amnem poſſeſſiones ſuas teneret. Natus Patre Hermanno Francorum Orientalium Duce, (q) ac à S. Burchardo Wormatienſium Epiſcopo inſtitutus,prima jam ætate Ordinum ductor ſub Henrico II. meruit. Huic probatam in re militari virtutem ſuam cùm feciſſet, à morte Succeſſor nominatus belli ſtipendium Imperium retulit; ſed quod non niſi poſt biennii interregnum, diſſentientibus diu in Electione Principibus, & Cunone Bavaro multùm contranitente, obtinuit, Aquisgrani à Pilegrino Colonienſium Archiepiſcopo coronatus; (r) ubi, cùm ad capeſſenda inſignia jam accinctus adſtaret, pupillorum & viduarum querimoniis interpellatus, differri juſſis coronationis ſolennibus, miſerorum priùs cauſæ pro æquitate conſuluit. (s) ſic firmato devictis etiam æmulis per Germaniam Imperio, Italiam, ac Mediclanum primùm deſcendit; urbem, quòd extincto Henrico ab Imperio deſciverat, obſidione cinxit, ſed D. Ambroſii ibidem ſepulti reverentia nihil ultrà hoſtile molitus, ſatis interim habuit Longobardiam reliquam victor ſubigere. (t) A Joanne XX. Rom. Pontifice

C

jam

[a] Carion Chron. l. 3. Biblioth. German. Melch Herzii part. 3. [b] Ditmarus l 5. Baron. A.C. 1002. n. 7. Surius ad 31. Octob [c] Leo Oſtienſis l. 2. c. 46. Ditmarus l. 6. [d] Leo Oſtienſ. loc. cit. Baron. ad A. C. 1019 n 2. [e] Oſtienſis c. 85. Herm: Contractus ad an 1053. [f] Ditmarus l. 7. Joan. Palatius lib 15. c. 2. n 117. [g] part. 19. Chron. apud Theod. Hopingium c. 6. n 606. [h] Sigon. lib. 8. de regn. Ital. Baron. A. C. 1014. n. 7. [i] Joan. Palat. lib. 15. c. 1. n. 29. Bonfinius dec. 2. l. 1. [k] Leo Oſtienſ. l. 2. c. 42. 43. [l] Petrus Damiani in vita S Odilonis. [m] Surius ad diem 25. Jan. [n] Apud Palat. lib 15. c. 2. n. 178. [o] Sigebertus. Ditmarus l 6 Baronius A. C. 1010. n. 2. [p] Otto Friſing. Leo Oſtienſ. l. 2 c. 59. [q] Biblioth. Germ. Herzii part. 3. [r] Naucler. Chron. vol. 2 gen. 35. Jac. Wymphel. Epitome rerum Germ. c. 24. [s] Wippo. Goldaſtus ad an. 1024. [t] Wymphel. loc. cit. Baron. A C. 1037. n. 2.

jam ad ingressum Italiæ perbenignè susceptus Romam ovans ingreditur, accetisp ab eodem Papa Imperii Romani Insignibus; quem à Principibus & Senatu ejectum secundo in urbem adventu Apostolicæ Sedi restituit; & hic & aliàs pro religione bellator. (a) Clarissimum illud, cùm ducto in Slavos exercitu violatam ab illis Sacrorum religionem ulciscitur. Ligneam Salvatoris effigiem ludibriis traductam turpiter mutilarant pagani; hos ille ingenti numero ad se perductos ad erectam rursus ejusmodi Crucifixi imaginem pari vice mutilatos varia morte delevit, sancto exinde elogio, *Ultor fidei* compellatus. (b) In Misiconem Polonorum Regem dum moveret, factum, ut gratiam capturus Dux Bohemiæ Udalricus fraude circumventum ac captivum eundem Conrado promitteret; sed horruit perfidiam Imperator, & Misiconem periculi, à quo caveret, ultrò admonuit, præclarè pronuncians: Germanos solere virtute cum hostibus, non fraude certare, nihilque acrius quàm perfidiam ulcisci; sceleribus, non nomini hostium irasci; oportere armatum esse, quem oderint. Sic ultrò supplicem Misiconem, tributis imperatis, ad officium reduxit Conradus, quod aliàs dura ferri & sanguinis conditione quæsitum venerat. (c) Cætera illi in Hungaros, & Burgundos bella fuère. Primos Bavariam requirentes fortissimo collecto exercitu Jaurinum úsque ad sua coëgit, pace extorta. (d) In Burgundos, quia Rudolpho eorum Rege defuncto, privilegio sanguinis ad se ditio pertinebat; quam etiam urbibus deditione acceptis, Genevæ ab Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo coronatus, sibi, & posteris asseruit. (e) In Germaniam inferiorem reversus, ac Trajecti subito morbo correptus piè decessit. A. C. 1039. Imperii 14. Spiræ in Ecclesia à se ædificari cœpta sepultus. Diverbium de illo vulgatum: *Sella Conradi habet ascensoria Caroli*, quasi diceretur, ad vitam & gesta Caroli M. Conradum proximum accessisse. (f) Symbolum: *Omnium mores, tuos imprimis observa.*

HENRICUS III. cognomento *Niger* à fusci coloris capillitio dictus, natus est A. C. 1017. Conrado II. Patre; ejusdem jussu à Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani coronatus anno ætatis undecimo, (g) bella prima sub signis paternis gessit, contra Slavos & Bohemos duplici acie victor. Præter Imperium & Franciam orientalem à defuncto Parente Regnum Burgundiæ cum Sueviæ Ducatu accepit. In Bohemos exinde Polonis infestos & Imperio contumaces copias eduxit, Ducemque Uladislaum victum captúmque ad tributum quotannis de more persolvendum coëgit, (h) strenuè in expeditione illa adjutus virtute Leopoldi Austriaci, qui ereptis aliquot per Bohemiam urbibus hosti priùs insolenti primus vires ademit. (i) In Hungaria Petrum S. Stephani Regis Successorem, qui procerum conjuratione depositus in Bavariam auxilia exoraturus concesserat, contra Abam jam Regem susceptum propugnavit feliciter; opera iterum usus Alberti & Leopoldi Austriæ Marchionum, (k) haud procul Jaurino explicata acie cum Aba congressus est, ac cæso prodigiosè exercitu viribus illum & spe regni repetendi exuit. Ibi pius Imperator cum universo milite in terram prostratus, ac ad aram Crucis cæleste signum veneratus, Christo eventum belli & omnem fructum victoriæ gratus transcripsit; &, tametsi ab Episcopis & regni Proceribus victor ipse, ut refert Aventinus, (l) in regem deposceretur, Petrum tamen Sceptro, diademate, ac reliquis regni insignibus redditis Hungariæ suæ restituit, Præsulibus & Optimatibus cunctis in fidem ejusdem & obsequium jurare jussis. (m) Sic rebus ad Germaniæ fines compositis, Romam trium Pontificum schismate laborantem contendit, ac Synodo ibidem congregata, tribus illis Magistratu se abdicare coactis, Syndigerum Bambergensem Episcopum, Clementem II. appellatum, in sede Petri constitui voluit; idque, non ut Jus sibi aliquod in rem Ecclesiasticam violentus arrogaret, sed turbatis tunc Ecclesiæ rebus, & factiosis quibúsque ad Sacrum illud fastigium aspirantibus, Christianitati consuleret. (n) Ab eodem dein Clemente Pontifice in ipso Natali Domini cum Agnete Conjuge consecratus coronam accepit; tum munita conducto milite adversùm Saracenos Apulia in Germaniam reversus, rebelles ibidem invenit Godefredum Lotharingium, & Balduinum Flandriæ comitem, quibus ad obedientiam reductis, à Sweino etiam Danorum Rege sibi homagium præstari fecit. (o) Cæsari adhuc in Italia subsistenti contigit, ut equo ornatiori, quem dono recens acceperat, insidens, à milite obvio equum illum suum dicente compellaretur; cui ille: Si tuus est, inquit, hic equus, accipe illum cum Sessore, & utrumque habeas, quoúsque persolutionem furti recipias; nec aliter factum, egregio Imperatoriæ æquitatis exemplo. (p) Goslariæ dum Natalem Domini celebrat, audito, Manichæos hæreticos ibidem dogmata sua dispergere, ut reliquum Christianum gregem ab illa contagione servaret, suspendio omnes enecari jussit. (q) Multæ pietatis Imperator nunquam Purpuram, & regalia insignia assumere solitus, nisi expiata per confessionem peccatorum conscientiæ, & verberatione spontanea in satisfactionem suscepta; (r) Bordfeldiæ ad Hercyniam sylvam moritur A. C. 1056 Imperii à morte parentis gesti 17. ætatis 39. Sepultus Spiræ, ipso Victore II. Pontifice, & Aquilejensi Patriarcha, quorum primus morienti etiam adfuit, augustum funus ornantibus. Symbolum: *Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.*

HENRICUS IV. ab eo, quòd annos 50. regnasset, *Senex* nuncupatus; Natus est patre Henrico III. A. C. 1050. à cujus obitu sub tutela religiosissimæ matris Agnetis, & S. Annonis Coloniensium Archipræsulis Imperio & corona potitus est Aquisgrani, annum dum ageret ætatis sextum. Exoratus à S. Petro Damiano, ad pacandam Romanam Ecclesiam, Sanctum æquè ac prudentem virum Annonem Romam transmisit; optimo sanè Imperii à sacrorum cura initio. Ad bella etiam à contumaci Saxonia evocatus, multis præliis & vario marte, sæpius tamen victor in eos pugnavit. (s) Ottonem conspirationis reum Bavariæ Ducatu repulit. Ob id velut iniquius actum ad Alexandrum Pontificem à Saxonibus incusatus; tum etiam à Gregorio VII. licentioris vitæ notatus, inter multa pœnitentis animi signa arduis itineribus in Italiam privatus descendit. (t) Sed renovatis iterum odiorum causis, dum Episcopos per Germaniam Henricus investire pergeret, nec Pontifex ab excommunicandis sic institutis desisteret; Rudolphus Sueviæ Dux accepta à Gregorio eodem corona, novo bello Henricum implicuit; sed illum Cæsar obstinatis utrinque in mortem, vel victoriam animis, quarto prælio congressus resecto brachio fugientem confecit; etsi is ægrè spirans Herbipolim adhuc translatus extra aciem animam efflavit. (u) Dum Henricus interim in Italiam coronæ causa se transfert, & Clementem Antipapam Gregorio opponit, novus Anticæsar Hermannus Saxo ex Principum nonnullorum consensu Imperium captabat; quem tamen Godefredi Bullionii copiis adjutus, viribus imparem ac obsequentem mox habuit; uti & Eckbertum, quem extincto Hermanno è Saxoniæ Principibus Successorem delegerant, pari cum reliquis fato intra fines suos compulsum, Imperio supersedere victor coëgit. (x) Romam iterum infesto exercitu transgressus, Longobardiâ ferè omni contra Mathildem expugnatâ, & castris Urbi admotis deditionem extorsit; cùm sæpius ibidem ex insidiis ad necem quæsitus & prodigio manifesto servatus, (y) à Clemente coronam in Urbe accepit. Unde redux in Germaniam Henricum filium res majores & jam Imperium appetentem, sed mox supplicem in officium recepit. (z) In Hungariam à Salomone Rege periclitante evocatus, in conventu Procerum Albæ Regalis celebrato, securitatem illi dignitatis reddidit, & in seditione populi Idololatriam respectantis, religionis Christianæ studium authoritate suâ firmavit. (aa) Eâdem pietate Ecclesias SS. Udalrici & Afræ in urbe Augustana à fundamentis erexit. Decretum etiam sive Rescriptum dedit ad Gregorium VII. Pontificem, de invasione rerum Ecclesiasticarum, & Simoniaca labe ab ecclesiis extirpandâ. (bb) Si factum aliquando, ut cum Præsulibus Romanis inclementiùs ageret; origo mali à pravis Domesticorum consiliis fuit, utpote in quos, excusato collaudatóque Henrico, Simoniæ crimen Gregorius ipse conjecerat. (cc) Quemadmodum & alia, quæ ab historicis passim notantur, Henrici delicta ejusmodi erant, in quæ pronam Cæsaris adhuc adolescentis ætatem persuasionibus sinistris deduxerant ii, qui curæ Matris & Annonis exemptum licentiùs moderandum acceperant. (dd) Cæterùm Princeps fuit in eleemosynis erogandis perquàm liberalis; dum bellaudum, Dux strenuissimus, ut qui bis & sexagies signis collatis pugnavit, M. Marcellum & Julium Cæsarem supergressus. (ee) Filio jam liberè Imperium usurpante vitam bellis impensam conclusit Leodii. A. C. 1106. Imperii 50. ætatis 56. post quinquennium in ecclesia Spirensi honorificè sepultus. Symbolum: *Multi multa sciunt, se autem nemo.*

Memorabilia Imperij.

QUod integro ferè sæculo in Familia Saxonum steterat Imperium, post Henricum II. ad Duces Franciæ orientalis, seu Franconiæ transiit, permansitque penes illos ad annum sæculi sequentis vigesimum sextum.

Dum hactenus nulli essent in Germania perpetui dignitatum gradus, sed officiorum tantùm, non dignitatum hæreditariarum gererentur nomina; Dux summum militiæ Rectorem, Comes in Comitatu vel Provincia Judicem, Landgravius in agris, Burggravius in civitate & arce Prætorem, Centgravius Centurionem designaret; & hi omnes ex Baronibus & viris gravibus accuratâ censurâ eligerentur; post Ottones Cæsares, seu sub initium sæculi hujus factum, ut hæc officiorum nomina in hæreditarias dignitates translata in familiis certis permanserint. (ff)

Ab Henrico II. reliquis Imperii Insignibus Pomum aureum insertâ desuper cruce adjectum est, & primò usurpatum, dum illud, ceu orbis Cæsaribus Romanis subjecti argumentum, à Benedicto VIII. Pontifice recepisset. (gg)

Burgundia nuper sui Juris facta, ad Imperium rediit sub Conrado II. sic integrâ ditione divisâ, ut quod nunc Comitatûs nomine venit, Cæsaribus; quod nomine Ducatûs, Regibus Galliæ permitteretur. (hh)


Ab hoc Conrado lex sancita est de proprietate sylvarum & Jure venationis, ac etiam de bonis Ecclesiarum non abalienandis. (ii)

Marchionibus Austriæ, & primo omnium Ernesto, Alberti (qui rem toties contra Hungaros strenuè gesserat) filio Successori titulus *Prioris* in Imperio ab Henrico IV. collatus est. (kk)

Idem Cæsar legem tulit in Alstadiensi curia, ut posthac per Imperium æqualiter omnibus Jus administraretur. (ll)

Lusatia ab eodem Imperio adjecta Marchionatûs nomine; quæ deinde, Ducatu Bohemiæ in Moguntinis comitiis in Regnum evecto, & Rege Uratislao I. per Cæsarem constituto, eidem & Successoribus unà cum Silesia & Moravia in feudum concessa est. (mm)

(a) Wippo. cap. 17. Baron. A. C. 1027. n. 1. (b) Wippo c. 33. (c) Wippo cap. 29. apud Palatium lib. 16. c. 2. (d) Calv. ad an. 1030. Bibl. Germ. Herzii p. 3. (e) Ibidem. Wymph. c. 24. Nauclerus vol. 2. gen. 35. (f) Wippo c. 6. (g) Idem c. 23. & Calvisius ad an. 1028. (h) Herman. Contractus. Wippo. c. 33. Biblioth. Germ. Herzii part. 3. (i) Cosmas Pragensis in Chron. apud Calvis. ad A. C. 1041. (k) Aventinus lib. 5. Annal. Dubravius apud Calvis. A. C. 1043. (l) Annal. Bojorum lib. 5. (m) Naucler. gener. 35. vol. 2. Bonfinius dec. 2. lib. 2. (n) Herman Contractus. Sigonius. Petr. Damianus, & Leo Marsicanus Ostienses Episcopi apud Joan. Palat. l. 17. c. 3. n. 16. Naucler. gener. 35. (o) Annal. Flandr. apud Calvis. A. C. 1049. (p) Glaber lib. 5. c. 5. apud Baron. A. C. 1047. num. 9. (q) Herm. Contract. ad A. C. 1052. (r) Reginardus in vita S. Annonis apud Surium ad 4. Decembr. (s) Lambertus Schafnaburgens. apud Baron. A. C. 1064. num. 24. (t) Naucler. gen. 26. Joan. Palat. l. 18. c. 3. n. 194. & seq. (u) Carion. Chron. l. 3. Naucler. l. c. Kranzius l. 5. cap. 7. (x) Aventin. Berthold. Constant. apud Pal. l. 18. c. 3. n. 229. (y) Berthold. Carion. Sigon. Baron. A. C. 1084. Joan. Pal. l. c. n. 237. (z) Avent. apud Pal. n. 286. (aa) Bonfinius dec. 2. l. 3. (bb) Goldastus ad an. 1073. (cc) Baron. A. C. 1075. n. 19. 20. (dd) Naucl. gen. 36. Baron. A. C. 1055. n. 23. (ee) Jac. Wymph. Epitome rerum Germ. c. 28. Naucl. l. c. (ff) Besoldus Cons. 88. n. 35. l. 21. Theod. Höping. tr. de Jure Insign. c. 6. n. 856. (gg) Joan. Pal. l. 15. c. 2. n. 117. (hh) Genebrardus. Carion. Herm. Hermes fasc. Juris c. 32. n. 9. (ii) Goldast. Const. Imper. tom. 3. & Calv. ad an. 1029. (kk) Cuspin. ap. Calvis. A. C. 1056. (ll) Goldast. Const. Imp. tom. 3. & Calv. ad ann. 1062. (mm) Calvisius ad an. 1068. & 1086. Ger. Mercator in Atl. min. tab. Bohem. Herm. Hermes fasc. Juris publ. c. 22. n. 55.


Triumphus Iustitia in Lothario II
Sæculo IV Imperii Romano Germanici
Satius recurrere quam male currere
Pauca cum aliis tecum multa
Qui nescit dissimulare nescit regnare
Qui nescit tacere nescit loqui
Audi alteram partem
Petr. Schubart von Ehrenberg inv. et del.
Engelbrecht et Pfeffel sc. A. V.

LOTHARII II.
JUSTISSIMI MONARCHÆ, LEGUM PER IMPERIUM RESTAURATORIS ENCOMIUM.



Nthea centenis resonet si Pimpla camœnis,
Et glomeret miræ fila sonora lyræ;
Non tua condignis, Lothari, præconia signis
Exprimet, & totis gesta decora notis.
Quàm fortunatis aucta est tibi gloria fatis,
Munere digna soli, digna favore poli!
Nam Padus effrænis supplex tibi factus arenis
Paruit, & veri signa recepit Heri.
Te Dominum stratis Germania prona lupatis,
Victoremque truces te coluêre Duces.
Quid memorem demptas Latio, Romæq; peremptas;
Quas furor audaces sparserat Urbe, faces?
Una tuos plausus tamen inter, Martis & ausus
Digna est supremis laudibus æqua Themis.
Ista tuum insignes animum flammavit in ignes,
Hæc in bella ruit, solâque Palma fuit.
Hujus amans florem, legum per regna vigorem
Reddis, & Astrææ jura Sacrata Deæ.
Hac socia plenas orbis dum flectis habenas,
Illuxêre dies pacis, & alta quies.
Hinc quicunque pari regnum vult sorte beari;
Quem regit, exlegem non sinat ire gregem.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno Christi 1100. ad 1200.

HENRICUS V. cognomento *Junior*, natus Patre Henrico IV. anno Christi 1081. Eidem adhuc superstiti ab universis ferè Germaniæ Principibus Imperator suffectus est, ad restinguenda inter illum & Pontificem Romanum dissidia. Imperium sic delatum cum summa animi moderatione suscepit; lachrymis etiam testatus, se nullâ regnandi cupiditate sceptrum usurpare paternum, sed defensionem Ecclesiæ & morum in publico correctionem ut curaret; imò & regno se cessurum professus, si meliora parens sponderet. (a) Anno ab obitu parentis quarto in Italiam transiit; ubi subjectâ per militem Longobardiâ, Romam tandem maximâ Solennitate delatus est, & Imperator ibidem coronatus à Paschale II. Pontifice. Inde repetitâ Germaniâ, Poloniam tributa negantem armis adegit; Saxoniam arma iterum opponentem, captis pluribus è gente Ducibus, ad obsequium reduxit; Westphalos, Frisios, & Hollandos tumultuantes tum armis, tum nominis sui terrore coercuit. (b) Sed, dum Belgium lustrat Imperator, Trajecti morbo correptus sine prole decessit. A.C. 1125. Imperii 15. ætatis 44. Spiræ majorum sepulchro illatus, Princeps bellicosissimus. Symbolum: *Mortem appetere malum, timere pejus.*

LOTHARIUS II. Gebhardo patre Comite de Querfort natus, & ob fidelem operam Henrico V. in bello præstitam, Saxoniam adeptus est, *Saxo* exinde compellatus. Diu obluctantibus & arma nequicquam moventibus Conrado Sueviæ, & Friderico Franconiæ Ducibus, qui Henrici ex sorore nepotes Jus sibi Imperii arrogabant, Moguntiæ Rex Rom. electus, coronam accepit Aquisgrani A. C. 1126. (c) Motibus iterum in urbe excitatis, etsi iteratâ Epistolâ ab Anacleto Antipapâ captaretur, Innocentio I. legitimo Pontifici constanter adhæsit; quem deinde subsidii causâ ad se adventantem Leodii perbenignè excepit, ac statim comparato exercitu Romam reduxit, tum ab illo in Lateranensi Ecclesia Augustus & Imperator coronatus. (d) Redux in Germaniam Lotharius Spiram, Ulmam, & Norimbergam Conrado adhuc obsequentes deditione extorsit, mox & ipso Conrado ex suasione D. Bernardi Clarevallensis in obsequium redeunte. Sed Italis nova identidem in Innocentium molientibus, à Legatis Græcorum & Pontifice rursum evocatus, auctis copiis in Longobardiam transiit, quam omnem Taurinum úsque, uti & reliquas imperium nuper detrectantes civitates victor asseruit. Romæ seditione oppressâ, Rogerium Siciliæ Regem Antipapæ partes audacter tuentem Apuliâ totâ, urbibus omnibus expugnatis, ejecit; Reginulpho natione Germano, vel ut alii, Hamone Comite ditionis Duce constituto. (e) Eximius Justitiæ cultor & administrator jam luctantes cum barbarie leges, & Jus Romanum ferè abolitum per Irnerium Jurisconsultum restituit, cùm antiquissimus codex in Apulia repertus Pisanis ab ipso donatus esset, quorum in urbe primam Juris professionem aperuit. (f) Pietate non minùs singulari, in expeditione etiam bellica constitutus, summo diluculo Missam unam pro defunctis, dehinc alteram pro exercitu, pro se tertiam audire consueverat; priusquàm cum hoste confligeret, sacrâ Synaxi semper se communiens, tum cum Augusta sua viduis & orphanis pedes lavabat, cibum illis & eleemosynam in dies singulos liberalem impertitus. Nempe, ut de Lothario refert Petrus Diaconus, sub Imperii chlamyde cælesti militabat Regi; ita in singulis eminens virtutibus, ut omnes perfectè haberet. (g) Tandem rebus magnis totâ Italiâ piè ac præclarè gestis cum exercitu Germaniam repetens in itinere morbo, an senio prævalente, occupatus propè Tridentum extinguitur A.C. 1138 Imperii 12. ætate, juxta Petrum Diaconum, propè centenarius. Corpus in Saxoniam delatum ac sepultum in Lutherâ Monasterio à se condito. Princeps inter alios de Ecclesia optimè meritus, & Apostolicæ sed constanter fidelis, Legum & Justitiæ fortis assertor, illud assumpsit in Symbolum: *Audi & alteram partem.*

CONRADUS III. natus Patre Friderico Duce Sueviæ, à congregatis Confluentiæ Imperii Principibus Cæsar salutatus, & coronatus est Aquisgrani; contra Henricum cognomento *Superbum*, qui, quòd Lotharii gener esset, auctus ab illo Saxoniæ & Bavariæ Ducatibus, eâ virium & sanguinis cognati fiduciâ nixus quasi debitum sibi affectârat Imperium; sed utrâque mox ditione à Conrado exutus in Comitiis Goslariensibus audaciam posuit. (h) Henrico sic inermi, Guelphus frater ejusdem adhuc Germaniam turbabat; quem tamen Conradus intra oppidi Weinsbergæ mænia conclusum, longâque obsidione & fame fractum ad deditionem coëgit, pulchro illic fœminarum maritos humeris efferentium spectaculo. (i) Interea aspirantibus contra Pontificem ad veterem Reipublicæ formam Romanis, dum ceu Liberator & Vindex à Senatu & Populo Urbis evocaretur, adjuvare maluit, quàm turbare authoritatem Ecclesiæ; ac suadente D. Bernardo Abbate cum multis Imperii Principibus, numerosissimóque exercitu expeditionem sacram suscepit; insigni sub initium successu, nisi laudatissimos conatus dimittere coëgisset Græcorum perfidia, à quibus corruptus calce & gypso commeatus plurimam exercitûs Cæsarei partem pessumdedit. (k) Ad suos ergò Conradus reversus, & Italiam tum coronæ, tum motuum ibidem componendorum causâ adire paratus, à proprio medico, quem Rogerius Siciliæ Rex magnis ad id promissis conduxerat, propinato veneno enectus Bambergæ moritur. A.C. 1152. ætat. 58. Imperii 14. Ex ultima voluntate Fridericum ex Fratre nepotem, traditis regni insignibus & Filio in tutelam commendato, Successorem constituit; Sapienter eo facto Reipublicæ prospiciens, quòd Filio parvulo nepotem præferret, quem jam clara bello facinora dignum ostentabant Imperio. (l) Symbolum: *Pauca cum aliis, tecum multa.*

FRIDERICUS I. *Ænobarbus* sive *Barbarossa* à barbæ colore sic dictus, Sueviæ Dux, Conradi III. ex Fratre Friderico nepos; Militiæ rudimentum in expeditione sacra sub Imperatore Conrado Bellidux posuit; à quo moriente Successor nominatus, & ex consensu Principum Francofordiæ ritè electus, coronam de more suscepit Aquisgrani. Celebratis inde Mersburgi comitiis Imperium ordinare progressus, Petro Danorum Regi homagium & fidelitatem juranti coronam regalem tradidit, sopitâ inter fratres de regno competentes discordiâ. (m) Ex quo in Longobardiam abiens, cùm urbes per viam plures recepisset, magna celeritate Romam contendit, ut gliscentem ex una Urbe per Italiam reliquam seditionem armatus compesceret: sed pace per Pontificis Internuntios maturè compositâ, ab ipso Hadriano IV. Papâ obviam facto in urbem deductus, in Basilica D. Petri coronâ potitus est; uti & Italiâ ferè omni, quam tum suo Marte, tum operâ Ottonis Wittelspachii victor subegerat. (n) Tandem, postquam urbes Italiæ, septies è Germaniæ finibus ducto exercitu infestus repetiisset; Romam, aliásque obsistere ausas armatus occupavit, Mediolanum muris domibúsque excisis diripuit; (o) Translatis Coloniam Agrippinam, quæ hic prius servata quieverant, SS. Trium Magorum corporibus. (p) Fessus jam turbarum Italiæ, ultrò concordiam cum Alexandro III. Pontifice amplexus est Venetiis; (q) Ubi cruce mox assumptâ, omnem, qua eminebat, belli virtutem in Christi hostes convertit. Nominato prius & in consor-

(a) Conradus Abbas Urspergens. apud Joan. Palat. l. 18. c. 2. n. 284. Baron. A. C. 1105. n. 4. (b) Abbas Ursperg. Palat. l 19. c. 2 Kranz. l. 5. Saxon. (c) Kranzius l. 6. Otto Frisingens apud Joan. Palat. l. 30. c 2. n. 1 3. 5. (d) Sigon. Baronius A. C. 1130. & seq. Wymphel Epit. rer. Germ. c. 30. (e) Carion Abb Ursperg. Palat l. 20 c. 2 n. 25. 43. 50. 55. (f) Palat. l. c. n. 57. Biblioth. Germ. Herzii parte 3. Carion. (g) Lib. 4. Chron. Cassin c. 125. apud Baronium ad A. C 1137. n. 2. (h) Carion. Otto Frisingens. l. 7. c. 23. (i) Naucler. gen. 38. Palat. l. 21. c. 2. n. 20. 21. Carion. (k) Palat. l. c. n° 25. 59. Otto Frising. Naucler Baron. ad A. C. 1144. & 1147. (l) Idem ad an. 1152. n. 3. Palat. n. 62. Calvisius. (m) Naucler. gen. 39. Palat. n. 13. & 82. (n) Jacob Wymphel. Epit. rer. Germ. c. 32. Radevicus l. 1. c. 21. (o) Carion. Naucler. Baron. Calvisius Radevicus Herzius in Biblioth Germ. parte 3. in Friderico. (p) Naucler. gen 39 Wymphel. Epitom rer. Germ. c. 32. Trithemius apud Calvis. A. C. 1162. (q) Carion. Joan. Palat l. 22. c. 2. n. 300. & seq.

tem Imperii coronato Henrico Filio in Asiam transiit, junctis in Societatem armorum Richardo Anglorum, & Philippo Gallorum Regibus. Transmisso Bosphoro, Natoliæ interioris aditu prohibentem Melichum Saladini Filium, ejusque 300. millium exercitum internecione delevit, cælestibus suppetiis, & S. Georgio candidam legionem ducente adjutus. Ingenti iterum barbarorum strage ad Iconium edita, captis multis urbibus, & minore Armenia in potestatem redacta, invictus hactenus Cæsar, & quo solo Principe Saladinus vinci potuisset, casu improviso & militiæ sacræ acerbissimo extinguitur. (a) Alii Serra Armeniæ amne, alii Cydno mersum, alii Seleuciæ veneno extinctum memorant. Communior est opinio, ab æstu diei fatigatum Cæsarem tentato amne frigidiore ex subita membrorum alteratione obriguisse; Spirantem adhuc aquis extractum, atque oculos cælo obvertentem dixisse: O Domine JEsu suscipe spiritum meum. Ex quo statim obiit in ipsis Christi castris A. C. 1190. ætatis 69. Imp. 38. à Friderico filio Antiochiæ in Basilica D. Petri sepultus. Symbolum: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

HENRICUS VI. cognomento *Asper*, sic ab Italis ob sævitiam compellatus, quam in Apulos Siculósque defectionem meditantes exercuit. (b) Natus Patre Friderico I. adolevit sub instructore Godefredo Viterbiensi, viro in divinis & profanis scientiis erudito. Vivo etiamnum parente Constantiam Rogerii Siciliæ Regis filiam unicam Mediolani Conjugem accepit, & cum ea dotem Apuliæ & Siciliæ regnum. (c) Id quodipsum, postquam Romæ à Cælestino III. Pontifice Imperator coronatus jam esset, contra Tancredum invasorem secunda expeditione armatus repetiit. Ubi Genuensium & Pisanorum classe usus Cajetam & Neapolim, tum Catanam & Syracusas hosti eripuit, mox, Tancredo extincto, ditione tota & regno; potitus est, eidemque in Germaniam redux Conradum fratrem moderatorem præfecit. (d) Habito dein Imperiali conventu, Expeditionem sacram cum vicenis ex maxima dignitate Germanis Principibus, Pontificis hortatu, suscepit, delecto 60. millium bellatorum exercitu; qui quòd Saladinus sublatus jam esset, maxima gentis Christianæ fiducia primo in Palæstinam aditu Saracenos ingenti numero profligant, Berytum, Sidonem, aliásque urbes feliciter occupant; majora ausuri, nisi allatus de morte Henrici nuncius exercitum dissipasset. (e) Cæsarem enim ad suos jam etiam in Syriam cogitantem Messinæ Siciliæ mors occupavit, veneno propinata, vel ut alii, ex frigida à venationis calore intempestivè hausta. A. C. 1198. ætatis 32. Imper. 7. Symbolum: *Qui nescit tacere, nescit loqui.*

PHILIPPUS, è filiis Friderici I. quos mortuus quinque reliquerat, natu postremus, & Henrici VI. Frater, à quo Sueviæ Ducatum acceperat; tutor ab eodem datus Friderico II. Filio tum Siciliæ & Calabriæ Regi adhuc minorenni, cui ut pactum jam à parente legibus certis Imperium cum potestate servaret, apud Principes congregatos fortiter institit. Sed quoniam Otto Saxoniæ Dux, adnitente etiam Pontifice, jam Aquisgrani coronatus illud liberè usurparet, ab alia principum parte Mulhusii Imperator Philippus ipse salutatur. (f) Armis inde in æmulum sumptis, ad Coloniam illum cum exercitu fudit fugavitque; Alsatiam, omnésque ad Rhenum sitas urbes partim promissionibus, partim ferro subegit. In eo etiam felicior, quòd filiarum quatuor destinatis connubiis fæderatos sibi fortiores pararet. Nam & Innocentium III. Pontificem in partes pertraxit, ejusdem ex Richardo fratre nepoti Maria filia in matrimonium data; & Beatrice filiarum altera Ottoni desponsa, ad concordiam illum obsequiúmque reduxit, sic utrinque concepto fœdere, ut Philippus quoad viveret, Imperii fasces retineret, post mortem in Imperio Otto succederet. (g) Tandem confecta domi pace, & corona jam nuper Aquisgrani recepta, dum adversùs Canutum Danorum Regem Hamburgi & Lubecæ invasorem cogitaret, privatas ob simultates ab Ottone Wittelspachio juniore lecto decumbens perimitur Bambergæ A. C. 1208. Imperii 10. ibidem primùm sepultus, mox tamen sub Friderico II. ad monumenta Majorum Spiram translatus. Symbolum: *Satius recurrere, quàm malè currere.*

Memorabilia Imperii.

AB Henrico V. qui ex Franconiæ Ducibus ultimus imperavit, orientalis Francia ad Sueviæ Duces transiit data primùm Conrado ex sorore nepoti. (h)

Comitatus Marchiæ & Montium sub hæc tempora à fratribus duobus Adolpho, & Eberhardo inchoati. (i) Etsi institutionem illam ad Henricum I, alii referant. (k)

A Lothario in conventu Roncaliorum lex lata est, & à Conrado Successore confirmata, ne terræ tributariæ & beneficia, quæ à Majoribus suis quis accepisset, eorum injussu alienari aut distrahi possent. (l)

Cùm priùs alia Italis, alia Longobardis, Romanis & Imperio alia Jura essent, iis posthac obliteratis, ex uno Jure Civili Romano per totum Imperium Jura tractari Lotharius Cæsar constituit, Gymnasiis publicis ad id docendum erectis. (m)

Ex donatione Lotharii, Saxonia ad Bavariæ Duces translata est, & Henrico Superbo ejusdem genero primùm concessa, à quo etiam hodierni Duces Brunswicenses originem suam deducunt. (n)

Eidem Henrico per Conradum Imp. proscripto erepta Saxonia ad Marchionem Brandeburgicum Albertum Ursum, & Noricum cum omni Bavaria ad Leopoldum Austriacum S. Leopoldi Filium pervenit. (o) Nati ex illa proscriptione ingentes motus Gibellinorum & Guelphorum nominibus ortum dedêre; primi Cæsareorum partium, postremi Welphonis, qui Henrici jam defuncti frater erat, sequaces, in Italiam etiam translati Pontificiam secum factionem involverunt, durantibus ultra sæculum factiosis nominibus. (p)

A. C. 1146. priusquam in Palæstinam abiret Conradus, Cameram Imperii seu Judicium Rotweilense instituit, quod à Judicio Imperiali aulico proximum esset. Officium Judicis familiæ Comitum de Sultz feudi titulo concessum, hodiedum apud eosdem remanet. (q) Constitutionem præterea dedit Juri insertam: Valere in omni contractu insertam conditionem vel pactum. (r)

A Friderico I. Saxonia & Bavaria superior Henrici nuper proscripti filio Henrico Leoni est reddita; ea occasione Marchiones Austriæ Ducum titulo ornati illam partem Bavariæ, quæ nunc Austriam, Styriam, Carinthiam & Tyrolim complectitur, sibi perpetuam obtinuerunt. Etsi dein sub Ottocari Bohemi tempora in partes dispersa sit, nec nisi à Rudolphi posteris reunita, ut in sequentibus dicetur. Ottoni Wittelspachio, ex cujus sanguine hodierni Bavariæ Principes & Palatini Rheni descendunt, ea, quæ nunc inferior censetur, Bavaria obtigit; (s) Ratisbona exempta, quæ tunc libera Imperii civitas esse cæpit. (t)

Proscripto etiam Henrico Leoni solus Brunswicensis Ducatus relictus est. Saxonia reliqua Bernardo Comiti de Anhald Cæsaris Signifero Ducis titulo tradita, in hanc ætatem penes familiam eandem remanet. Addita tum Insignibus Saxonicis, ligna stratoria exhibentibus, est corona rutea, quam Fridericus Imperator, ut erat coronatus per æstum, detractam ex capite in scutum novi Ducis obliquè abjecerat. (u) Qui ex illa Saxoniæ divisione supererant, Angriæ & Westphaliæ Ducatus, ad Archiepiscopatum Coloniensem ex arbitrio Cæsaris pervenerunt. (x)

Bohemiæ Ducibus, qui accepto Regum titulo jam à temporibus Henrici IV. Imper. supersederant, à Friderico Cæsare nomen Regium redditum & confirmatum est A. C. 1158. in comitiis Ratisbonensibus; & datus pro Insigni, Aquilæ nigræ loco, Leo argenteus in scuto purpureo expressus. (y)


Dum in expeditione Italica versatur, Leges Castrenses super disciplina militari viginti quinque instituit. (z) Ibidem Legibus aliis 22. constitutis Jura feudorum reduxit. (aa) Legem præterea tulit de Judicio & foro competente, de probationibus, Homicidiis, de servitute nativitatis, &c. (bb) Item eam, qua Jusjurandum à pubere ultrò præstitum, de contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiri; metu verò, & vi extortum ipso Jure nullum esse jubetur. (cc)

In Comitiis Herbipolensibus ejusdem loci Episcopo Ducatus Franconiæ, & ejusdem Jurisdictio superior à Friderico confirmatur. (dd)

Sub ultima Friderici tempora natus in expeditione sacra ordo Equitum, qui jam Hierosolymis ex militia Germanorum delecti, & in Germaniam translati Teutonici dicti sunt. Magister eorum primus Henricus de Walpoth Coloniensis, Livoniam gentilem sua suorúmque industria Christo & Imperio adjecit; dein, ex quo Livonia ad Poloniæ Reges transiit, Residentia hujus ordinis Mergentheimii in Franconia esse cœpit. Inter alias eorum leges, cælibatus numeratur, obedientia belli pacísque tempore Magistro suo præstanda, defensio pauperum, & necessitas pugnandi contra Turcas, Assumuntur ex majori tantùm nationis Germanicæ nobilitate, & Catholicæ religioni addicti. (ee)

Henricus VI. legem tulit, ne Imperium ampliùs electione, sed sanguinis successione daretur; útque Filio Friderico id primùm impetraret, Regnum Siciliæ & Calabriæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, quæ hic filius ab avis hæres acceperat, Romano univit Imperio; ut quicunque Imperator esset, has ditiones simul obtineret. Præterea ut fœminæ masculis deficientibus in hæreditatem succederent. Huic constitutioni Papa, & Germaniæ Principes quinquaginta duo Cæsarem aliàs deligere soliti subscripserunt, suisque singuli Sigillis signârunt. (ff) Sed hæc lex in odium familiæ Suevorum dein ab Ottone IV. Saxone est abrogata.

(a) Wymph. Epit. rerum Ger. c. 32. Naucl. Bar. ad A. C. 1190. (b) Pal lib. 23. c. 2. n. 1. (c) Ibid n. 2. Wymph. c 33. Herzius part. 3. (d) Palatius n. 37. (e) Wymphel. Herzius. Naucler. Rogerius apud Calvis ad an 1197. (f) Carion Palat. l 24. c. 2. n. 1. 3. 7. Naucler. gener 40. (g) Herzius. Cuspinianus apud Calvis an 1200. 1207. Palat. n. 16. 20. 38. 39. Carion. (h) Naucler. gen. 38. Carion. l. 3. (i) Chron. Belg. apud Calvis. ad an. 1122. (k) Gerard. Mercator in Atlante min. tab. Westphal 3. (l) Sigonius apud Joan Palat. l. 20 c. 2. n. 49. Goldastus Constit. Imper. tom. 3. ad an. 1141. (m) Carion. Palat. l. c n 85 Calvis. ad an. 1137. (n) Nauclerus gener. 38 Trithem. apud Calvis. an. 1134 (o) Otto Frising lib. 7. cap. 23. Naucler. gener 38. Carion. lib. 3. (p) Jacob. Wymphel. Epit. rerum Germ. cap. 36. Trithem. apud Calvis. an. 1140. (q) Annal. Suev. ad an. 1146. Herm. Hermes fascicul. Juris publ. cap. 15. n. 1. (r) Goldastus Constit Imp. tom. 3. ad an. 1145. (s) Carion. Naucler. gener. 39. Cuspinianus apud Calvis. an. 1156. Hermes. cap. 32. n. 2. Palat. lib. 22. cap. 2. n 16. 53. 321. (t) Herm. fasc Juris. cap. 35. n. 105. (u) Carion. Nauclerus gener. 40. Palat. l. c. n. 315. Theodorus Höping. tract. de Jure Insign. cap. 6. parte 5. n. 710. (x) Naucler. gener. 40. Hermes cap 20. n. 9. Palat. n 220. (y) Carion. Trithemius apud Calvis. ad an. 1158. Hermes. cap. 22. n. 4. (z) Joan. Palat. lib. 22. cap. 2. n. 83. (aa) Ibidem n. 96. & lib 2. feud. tit. 55. Goldast. Constit. Imp. tom. 3. ad an. 1158. (bb) Authent. Sacramenta puberum. Cod. Si adversus vendit. (cc) Annal. Suev. apud Calvisium ad A. C. 1168. (dd) Herm. Hermes fasc. Juris publ. cap. 4 n. 35. cap. 29. n. 23. & seq. Calvis. ad an. 1190. (ee) Chron. Belg. apud Calvis. ad an. 1196. Carion. Naucler. gener. 4. p. 876. Palatius.



Petr. Schubart v. Ehrenberg inv. et del

Engelbrecht et Pfeffel exc. Vien.

RUDOLPHO I.
COMITI HABSPURGICO,
IMPERATORI MAGNANIMO,
CÆSARUM AUSTRIACORUM PATRIARCHÆ
EUCHARISTICON.



Ustria, mundi gloria, gaude;
Vos & avitæ gentis alaudæ,
Memori grates voce, potenti
Austriacorum ferte Parenti.
Quaque vibratis radios Astra,
Pulchra sereno lumine castra,
Clara Rudolphi promite facta,
Et Magnanimi Cæsaris acta.
Hic Herculeo robore fortis,
Sprevit iniquæ furias sortis;
Et per dubios Marspitris æstus;
Fecit honoris meriti quæstus.
Hujus obortum jubar atratis
Nulla nigrârunt nubila fatis.
Semper eâdem mente serenus
Atque augusto lumine plenus
Fulsit, ut inter tacitæ crebras
Noctis oberrans luna tenebras.
Solo recti limite clausa
Quis non tanti Cæsaris ausa
Stupeat? quando Marte petitus
Sacrâ Christi cruce munitus,
Mox de cæsis hostibus almas
Forti dextrâ retulit palmas.
Habspurgenses nempe leones,
Rabido sævos dente dracones,
Et liventes cæde cerastas,
Hydrásque domant sanguine pastas.
Si sint fatis mille premendi,
Stant æquanimi mente timendi.
Hoc Magnanimo sidere ducta,
Tamque potenti robore structa,
Stat adhuc primo culta decore;
Et mansuro firma vigore
Domus Austriadum, nulla terente
Quam corrodent sæcula dente.
Maxime Cæsar, digne Monarcha!
Austriacorum qui Patriarcha
Superos stabili sede penates
Incolis, imo pectore grates
Tibi festivo carmine pangit,
Gratáque laudes Austria clangit.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno Christi 1200. ad 1300.

OTTO IV. Dux Saxoniæ, & Henrici Leonis filius; à morte Friderici I. successor electus, & per legatos Principum evocatus Coloniæ Rex salutatur, mox etiam suadente Cœlestino Pontifice Aquisgrani coronatus, contra Philippum, qui & ipse ex aliorum suffragiis potiebatur Imperio. Sed post multas cum illo pugnas dum ex pacto cessisset, plenâ potestate eidem jam defuncto succeſſit, ductâ in conjugem Beatrice Philippi filiâ. (a) In Italiam transgressus, ferream primùm coronam Mediolani, tum Augustalem Romæ in æde Principis Apostolorum accepit ab Innocentio III. Pontifice, qui, quòd Mathildis ditionem à Cæsare repeteret, nec obtineret, anathemati eundem subjecit. (b) At Otto occupatis multis Apuliæ & Calabriæ urbibus in Germaniam rediit; ubi copiis auctus, ut Friderico Siciliæ Regi jam etiam Imperatori nominato, ejúsque fautoribus paratus resisteret, in Flandriam adversùs Philippum II. Franciæ Regem traduxit exercitum; cum illo dubiâ diu, sed tandem inclinante victoriâ, luctatus cùm attritas res suas vidisset, in Saxoniam se privatus recepit, sibi sæpe indignatus, quòd Romanam aliquando oppugnâsset Ecclesiam. (c) Tandem Brunswici, ubi dimissis Imperii curis ætatem reliquam non diu duxerat, singularibus pœnitentiæ signis ante mortem palàm editis, vitâ fungitur A. C. 1218. Imper. 10. Symbolum: *Anser strepit inter olores.*

FRIDERICUS II. Natus patre Henrico VI. Imper. & Constantiâ Siciliæ Regis filiâ; sub ejus tutela eos fecit progressus, ut omnes sui sæculi homines sapientiâ & prudentiâ superaret. Præter linguam Germanicam, Græcam etiam, Latinam, Italicam, Gallicam, & Saracenicam non solùm intellexit, sed & disertè locutus est. (d) Imperante adhuc, sed Pontificis anathemate perculso Ottone, ex Sicilia sua ab optimatibus Germanis evocatus, & Aquisgrani coronâ potitus est. Rejecto in Saxoniam æmulo, & Rhenanis urbibus deditione acceptis Romam concessit, ibidem, præstito priùs de juribus Romanæ Ecclesiæ defendendis juramento, ab Honorio III. Papâ coronatus, mox turbantes ab abitu suo Saracenos Siciliâ profligavit. (e) Quòd voto promissam expeditionem sacram exequi differret, à Gregorio IX anathemate obstrictus, (f) iter tandem cum exercitu in Palæstinam suscepit: ubi multis urbibus & Hierosolymâ etiam expugnatâ, diadema Regni & Regium ibi nomen obtinuit. (g) Inducias in decennium cum Sultano pactus dum esset Christiano nomini minùs benignas, execrationem iteratam Pontificis & arma etiam in se concitavit; quæ ut à suis in Italia ditionibus propulsaret, relictâ Syriâ Europam repetiit. (h) In ea Henricum filium coronâ insolentem coërcuit; Conrado, quem ex Jolanta Hierolοlymitani nuper Regis filia genuerat, in Regem suffecto. Longobardos, & in iis Mediolanenses præcipuè, ingenti clade ad Ollium flumen rejecit; Urbes Italiæ omnes, Româ, Bononiâ & Mediolano excepto, ad obsequium victor adegit. (i) Innumeram Tartarorum multitudinem, quæ eversâ Cracoviâ, Strigonio, plurimisque Poloniæ & Hungariæ civitatibus aliis, Viennam usque victrix evaserat, admirabili felicitate conterruit; Barbaris à solo signorum Cæsareorum conspectu ad sua, unde venerant, diffugientibus. (k) Vendicatâ etiam, quam sui Juris Pontifex volebat, Sardiniâ, in generali Lugdunensi Concilio sacris iterum & simul Imperio interdicitur Fridericus; cui tum in Germania, Innocentii IV. hortatu, Henricus Thuringiæ Landgravius subrogatus, non diu, nec par æmulo Friderico gessit Imperium. (l) At Cæsar Guelphorum interim validissimam factionem in Italia premebat, Romam, Ravennam, Parmam infesto exercitu aut terrens aut fatigans; ubique clandestinis conjuratorum insidiis, & veneno etiam in mortem propinato superior. (m) Tandem cùm Florentiam ex præsagio sibi fatalem diu vitâsset, in Florentino quodam Apuliæ castro ex febri extinctus est bellicosissimus Imperator A. C. 1250. ipso die, quo olim Imperii coronam acceperat. Ætatis 55. Imper. 38. (n) Ante obitum, quem adesse præsensit, totus ad delictorum detestationem conversus, obedientiam in Romanam Ecclesiam jurejurando firmavit; & factâ Christiano ritu peccatorum expiatione, tantâ sub extremum donatus est contritionis gratiâ, ut Maynardus Imolensis Episcopus memoriæ tradiderit, ex ista confessione concludi: *Fridericum electum vas Dei & Organum fuisse.* (o) Testamento ingentem auri summam reliquit in recuperationem terræ sanctæ ex Equitum Hierosolymitanorum arbitrio erogandam. Etiam, dum vixerat, Magnificus, liberalis, Magnanimus, & insignis beneficiorum remunerator, inter reliqua monumenta publica Academiam Viennensem in Austria Augustus fundator instituit; (p) Aristotelem, Ptolomæum, Galenum & alios peregrinæ linguæ Authores Scholasticos in discentium usum, ut latinè jam audirentur, effecit. (q) Corpori, quod in sepulchro porphyretico ad Montem Regalem juxta Panormum est conditum, hoc inscriptum Epitaphium legitur:

Si probitas, sensus, virtutis gratia, census,
Nobilitas orti, possent obsistere morti;
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Symbolum gessit: *Minarum strepitus, asinorum crepitus.*

CONRADUS IV. Friderici II. ex Jolanta Hierosolymitana filius. Rex successor à parente nominatus, & consensu optimatum Imperii approbatus, arma in Henricum Thuringium, & Guilielmum Hollandum defendendi parentis causâ suscepit. Illum acie victum telo confodit; hunc Henricο subrogatum in Germaniam inferiorem victor rejecit. (r) Tandem debitam sibi hæreditate paternâ extremam Italiam dum ab invasoribus vendicaret, veneno perfidè propinato extinguitur A. C 1254. ætat. 26. Imperii à morte parentis gesti 4. Hæredem reliquit Conradinum filium. (s) Symbolum: *Sapientis est, cùm optimè possit, nolle nocere.*

GUILIELMUS, cognomento *Mardonius*, Comes Hollandiæ, vivente adhuc & rerum potiente Friderico, ejúsque filio Conrado, post obitum Henrici Thuringii Rex Germ. electus est & Coronatus Aquisgrani. Privatis

(a) Naucler. Gen. 41. Wymphel. cap. 34. Palat. lib. 25. cap. 2. n. 3. & seq. Odoric. Raynaldus Annal. Eccl. A. C. 1208. (b) Carion. Matth. Parisiens. Naucler. Gen. 41. pag. 909. Palat. l. c. n. 9. (c) Hetzius Bibl. German. part. 3 Naucl. l. c. pag. 913. Palat. l. c. n. 24. 25. Calvis. an. 1214. (d) Carion Palat. lib. 26. cap. 2. n. 1. (e) Pal. lib 26. c. 2 n. 8. 13. 17. Odoric. Raynald. A. C. 1220. n. 21. & 1222. n. 4 (f) Brietius. A. C. 1221. Calv. Odor. Rayn. A. C. 1227. n. 18. 29. Naucl. pag. 924. Herz. Palat. n. 37. (g) Carion. Naucl. Palat. n. 46, 49. (h) Wymph. cap. 35. Pal. n. 47. Calv. & Od. Rayn. A. C. 1229. n. 31. (i) Wymph. cap. 35. 36. Brietius & Calvis an. 1237. Naucl. Gen. 42. (k) Palatius lib. 26. cap. 2. n. 106. (l) Herzius. Carion. Wymph. cap 37. 38. Naucl. pag. 931. (m) Palat. l. c n. 126. 138. Calvis. an. 1248. (n) Calvis. Raynald. A. C. 1250. n. 32. (o) Palat. n. 164. Siffridus Epit. lib. 2. Raynald. l c. n. 33. (p) Crusius. Lazius. apud Palat. n. 75. Annal. Suev. apud Calv. an. 1237. (q) Carion. Palat. l. c. n. 7. (r) Palatius lib. 26. cap. 2. n. 129. lib. 27. cap. 2. n. 3. (s) Wymphel. cap. 42. Naucl. Gen. 42.

vatis intra Flandriam & Hollandiam bellis fortiter confectis, ex insidiis apud Frisios per tumultum sublatus est. A.C. 1256. ætatis 27. Imper. 7. (a)

RUDOLPHUS I. Habspurgicus, Augustissimæ Austriacorum familiæ nunc gloriosè regnantis Patriarcha & Conditor, natus est patre Alberto sapiente Habspurgi Comite A.C. 1218. sub eandem ferè ætatem, qua Ottomanorum nomen audiri cœptum in Asia. (b) Princeps, qui gentilitium Habspurgicæ domûs insigne, Leonem, ampliore titulo proprium sibi fecit suis tam ante, quàm post susceptum Imperium fortiter & magnanimè gestis. A Burgundis & Helvetis decies quater devictis *Victoriosi* nomen adeptus, (c) obtinendi etiam aliquando Imperii præsagium à pietate accepit; cùm sacerdoti Eucharistiam ad ægrotum deferenti, venatione dimissâ, equum cessisset, ipse pedes ad infirmi usque tugurium præeuntem secutus. (d) Annis inde aliquot in præfectura Palatii apud Ottocarum Bohemorum Regem laudabiliter actis, evocatus à suis Alsatiam armatus composuit. Fatiscente interim, & annis jam pluribus sine Rectore legitimo fluctuante Imperio, Pontifice etiam optimi principis electionem urgente, dum Basileam ipse obsidione cingeret, Francofurti consensu Electorum Imperator Rudolphus deposcitur. Ex quo cum eodem Principum senatu Aquisgranum translatus, Insignibus Imperii & coronâ potitus est. Ibi, dum de more proceres Sacramentum dicturi accederent, & sceptrum (incertum quo casu) ad manum non esset, Cæsar arreptâ cruce, quæ ad altare aderat: *hoc*, ajebat, *signum, in quo genus humanum & nos redempti sumus; hoc ego sceptro in omnes mihi & Imperio infidos utar.* (e) Sublatis inde, quæ interregni tempore per Germaniam invaluerant, latrociniis; Ottocaro etiam bellum denunciat, quòd acceptas cum Margaretha Austriaca ditiones, eâdem repudiatâ, Imperio, quo pertinebant, non redderet. Hic dum armis coactus sub sutili tentorio, & in conspectu utriusque exercitûs homagium Cæsari præstitisset; velut contumeliâ irritatus, arma in Rudolphum resumpsit, quem tamen ille 14000. Bohemorum cæsis in ipsa acie vitâ & ditionibus exuit; Herboto illic etiam ingentis staturæ, roboris, & audaciæ homine, qui certus virium jam mortem Cæsaris destinaverat, manu propriâ fortissimè interempto. (f) Tum Cæsar Viennam, aliásque Austriæ urbes deditione accepit, Styros & Carinthos per Maynardum Tyrolis Comitem conciliavit, Albertum filium ditionum earum in Posteris filium hæredem præfecit, filias ternas ternis Electoribus, quartam Wenceslao Regi, Ottocari filio, despondit. (g) Rebus Germaniæ & Familiâ ordinatâ, Vicarium in Italiam, qui res utut fortè ibidem lapsas erigeret, ablegat; ut ipse eò coronæ Romanæ causâ commigraret, admonitus: *Multos*, reposuit, *Alemanorum Reges Italia consumpsit; Romam non ibo, Rex sum, Imperator sum; nec minus pro utilitate reipublicæ acturum me confido, quàm si Romæ coronatus fuissem;* ubi & illud ex Phrygis apologo de Leone & Vulpe subjecit: *quia me vestigia terrent.* (h) Illic Lucensibus & Florentinis libertatem & Magistratus eligendi facultatem concessit; Exarchatum, ut quem absens jam tueri non posset, tempori potiùs quàm juri cedens, ad Pontifices Romanos transmisit. (i) Ducem tamen Burgundiæ, quòd Francorum Regi magis se obnoxium ferret, acie superatum ducatu expulit, nec nisi per legatos supplici & obsequenti ditionem restituit. (k) Senio tandem accrescente, dum Imperium Alberto filio traditurus conventum parat Francofordiæ, in itinere febri implicitus Spiram deportari expetiit, ad prædecessores suos Rom. Cæsares itare se dicens; illuc antequam venisset, morbo superante Gemersheimii piè obiit. A.C. 1291. ætat. ferè 74. Imper. 18. Pius æque ac Magnanimus Princeps, amplissima cænobia aut fundavit, vel restauravit, vel proventibus auxit. (l) Inter belli difficultates & æstus non sibi, sed exercitui sitiens; (m) Princeps verè publicus, omnibus ad se aditum patere volens; (n) & quem severum aliquando, non placabilem fuisse pœnituit. (o) Dictum illud familiare sibi circumtulit: *Prudentiâ gubernantur regiones, quarum limites tyrannide nunquam extenduntur.* Symbolum: *Melius bene imperare, quàm Imperium amplicare.*

Pictura Symbolica illi erat, manus armata cum spato (armorum genere) & olivæ ramo. Lemma: *Utrum lubet.*

ADOLPHUS *Nassovius*, patre Walramo Nassoviæ Comite, & in aula Rudolphi Cæsaris nuper Præfecto natus; ab obitu Imperatoris, sexto post Mense, Imperio Rex sublectus, eidemque initiatus est Aquisgrani. Bellator eximius adhuc ante susceptum Imperium Brabantiæ ducem, etsi numero semper superiorem, quinque præliis devicit. Sexto cum hostibus iisdem congressu captus, & quisnam esset, quæsitus: *Sum Comes Nassovius*, victori similior reposuit, *non ditionibus potens, sed natus magnis rebus gerendis: id miror, qui mucronem meum effugeris.* (p) Quòd tamen exhaustus jam facultatibus, sago omnia & armis daret, nec pro merito honorem togatis haberet, insuper Misniam & Thuringiam contra hæredes legitimos vendicatam immitiùs tractâsset; (q) alienatos facilè suorum animos ad subrogandum in Imperio Albertum Austrium perduxit. Huic explicato ad Rhenum exercitu, cùm pugnæ copiam Adolphus fecisset, manu æmuli saucius in ipsa decretoria acie à circumfuso milite vitam cum Imperio posuit. (r) A.C. 1298. Imper. 6. cum dimidio. Ex Vallis Rosarum cænobio ab Henrico VII. in sepulturam Cæsarum Spiram translatus. Symbolum: *Præstat vir sine pecunia, quàm pecunia sine viro.* Pictura Symbolica, Delphinus anchorâ implicitus. Lemma: *Festina lentè.*

ALBERTUS I. *Austriacus* à ditione, quam hæres à Rudolpho parente acceperat; & *Triumphator* à bellorum gloriâ, ut qui in Bavaros, Batavos, Bohemos, Hungaros & Helvetos secundo ubique successu pugnaverat, compellatus. (s) Contra Adolphum ab Electoribus evocatus ac Imperator salutatus, dum illum prælio superior sustulisset, iteratâ electione, si sic Principibus videretur, non armorum Jure, Imperio præfici voluit. (t) Delectus proinde iterum & Aquisgrani coronatus, conventum Norimbergæ indixit, in quo assidentibus cum Electorum corona, Bohemiæ, Daniæ, & Apuliæ Regibus, cùm Rudolphum filium Archiducem Austriæ constituisset, ob legem inter cæteras latam de vectigalibus Rheni penes Cæsarem perpetuò servandis, magnum principum mox contraria molientium in se odium conflavit. Sed etsi illi de exauctorando etiam Alberto palàm agitarent, eorum singulos per vices aggressus, armis positis supplices omnes ad obedientiam reduxit. (u) Defuncto sine liberis Wenceslao Bohemo, Rudolpho filio, non tamen diu superstiti, armatus Regnum afferuit; (x) simul ad capessendam ipse Galliam à Pontifice Bonifacio VIII. invitatus, quia non perpetuum sibi & posteris offerebatur, abstinere Regno, quàm temporarium accipere maluit. (y) Tandem à Joannis ex Rudolpho fratre nepotis, quem sub tutela diutius impatientem continuerat, Sicariis ad Vindonissam Alsatiæ multis vulneribus perfidè conficitur. A.C. 1308. Imperii 10. Corpus in Westingensi primùm Monasterio, sed post Menses 13. à successore Henrico Spiræ sepultum est. Dum viveret, tria hominum genera, pudicas fæminas, devotum clerum, & strenuos milites impensiùs coluit; bilingues è contra & detractores plurimùm execratus. (z) Symbolum: *Quod optimum, idem jucundissimum.* Pictura Symbolica, Manus armata telum missile librans. Lemma: *Tolle moras.*

Plures passim à Friderico II. ad Rudolphum I. Germaniæ Reges recensent Authores, sed illi vel à partibus tantùm electi; vel, si electi, nomen solùm sine corona, nec diu illud sustinuerunt. *Henricus* Thuringius non coronatus, post annum assumpti Regii nominis à Conrado Friderici filio confectus est. (aa) *Richardus* Anglus, Cornubiæ Comes, Electorum trium suffragiis evocatus & Aquisgrani quidem coronatus, mox tamen, profusis frustra largitionibus, in Angliam contemptus rediit. (bb) *Alphonsus X.* Legionis & Castellæ Rex ternis aliorum calculis Richardo oppositus; sed turbantibus in Hispania Mauris, Germaniam nunquam contigit. (cc) Etsi etiam sunt, qui statuto annorum 23. interregno, nec Conradum, nec Guilielmum à nobis in Regum serie positos Regibus Germanis accensent.

Memorabilia Imperij.

HOc sæculo in Comitiis Francofordiensibus ab Ottone IV. in hæc verba lex lata est: Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato. Principes sex, sacri ordinis tres, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis: Profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ (qui tum fuit Brunswicensis) & Marchio Brandeburgensis eum eligunto. Hi si discordes fuerint, Bohemiæ Regem cooptanto. (dd) At primus sic electus non Fridericus Ottonis successor, sed Guilielmus fuit; in quo tum etiam ritus Germanorum Regem per Insignia & Electorum Ministerio inaugurandi usurpatus est, ita; ut Elector Moguntinus Regis dexteram oleo sacro inungeret, Coloniensis consecratione peractâ in thronum locaret, Trevirensis coronando manus imponeret; Comes Palatinus Rheni *Archidapifer* globum aureum, Marchio Brandeburgensis *Camerarius* annulum, Dux Saxoniæ *Ensifer* gladium consignaret. Rex Bohemiæ *Pincerna* Imperii de consensu Archiepiscopi Coloniensis coronam argenteam in caput Regis reposuit. Quibus peractis solennibus cùm omnes minorum partium Principes & Nobiles obedientiam coronato & fidem jurâssent, Rex tandem ipse Electorum & Imperii privilegia confirmavit. (ee)


Ab hoc proinde sæculo (de anno adhuc incertum est) originem suam aptissimè censet Electorale septemvirorum Collegium, penes quos duntaxat, exclusis Principum reliquorum suffragiis, jus esset Regem & Imperatorem Romano-Germanicum statuendi. Quod sub Ottone IV. lege sancitum, in Lugdunensi Generali Concilio (ubi tamen Electores nominantur Duces Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ; Archiepiscópi Coloniensis, Moguntinus, & Salisburgensis) sub Innocentio IV. approbatum, & in Guilielmo deligendo usurpari cœptum est. Ut præter Aventinum, (ff) Onuphrium Panvinum, (gg) Carionem, (hh) Beckerum, (ii) efficaciter ostendit Cardin. Baronius, (kk) & Sethus Calvisius; (ll) qui electionem jam à temporibus Ottonis III. introductam non omninò rejiciunt, sed eam, ut ex electionibus hucúsque factis per authores contrariæ etiam opinionis constat, ad omnes Imperii Principes & status transferunt, non ad solos adhuc Septemviros definitam.

Sub sæculi hujus initium fœdus conceptum est inter Urbes Imperii mercimoniis potentes, *Anseaticas* dictas; quarum quatuor tum emporia tanquam Collegia sub tutela Magistri ordinis Teutonicorum constituta. Hodie in 4. Classes divisæ urbes, capita censent Lubecam, Coloniam Agrippinam, Brunswicum, & Dantiscum: (mm) etsi jam multùm imminutâ & dissipatâ earum per Carolum V. potentiâ.

Ducatus Rhenatium, seu Rhenanus, Palas tum dictus, per Fridericum II. ad Principes Bavaros transiit; qui licèt post annos 40. factâ inter fratres divisione (uno Bavariam, altero Palatinatum retinente) sejunctus iterum esset; initium tamen ex eo ductum est, conjunctæ hodiedum Bavarorum & Rheni Palatinorum familiæ. (nn)

Idem Cæsar Fridericus in Veronensi conventu Ducatum Austriæ, quam Cor & Clypeum S. R. J. compellârat, in Archiducatum evexit; Friderico Duci & ejus posteris Regiam dignitatem attribuit, concesso inter cætera hoc etiam privilegio, ut crucem Regalis Diadematis pileo suo principali imponerent. (oo)

(a) Carion. Chron. Traject. apud Calv. an. 1256. Naucl. (b) Palat. lib. 29. cap. 2 n. 4. (c) Pal. l. c. n 89. Gerardus de Roo. lib. 1. pag. 50. (d) Lipsius Mon. Polit. lib. 1. c. 2. mon. 3. Raynald. A. C. 1251. n. 57. de Roo (e) Palat. lib. 29. cap. 2 n. 30. Brietius, & Raynal. A. C. 1273. n. 9. (f) Wymph. cap. 41. Herzius. Palat. l. c à n. 32. ad n. 57. Calv Naucl. (g) Carion. de Roo. Raynaldus. A. C. 1278. n. 43 (h) Naucl. gen. 43. Carion. Lucas de Linda lib. 7. de Roo. lib. 1. (i) Trithemius. Wymph. cap. 41. de Roo. pag. 37. (k) Palát. n. 83 Calv. an. 1289. (l) Gerardus de Roo. lib. 1. pag. 49. (m) Æn. Sylvius. lib. 2 Comment. de Alphonso Palat. n. 52. (n) Lipsius. Mon. Polit. lib. 2. cap. 7. Siffridus apud Raynald. A. C. 1273. n. 9. (o) Palat. n. 60. Æn. Sylvius loc. cit. (p) Joan Palatius. lib. 30. c. 2. n. 11. (q) Carion. Ger. de Roo. l. 2. pag 63. Palat. l. c. n. 18. 20. (r) Carpzovius. Herm. Hermes. fasc Juris. cap. 6. n 34. Naucl. gen 44. (s) de Roo. pag. 78. Palat. lib. 31. cap. 1. n. 20. cap. 2. n. 57. (t) Trithemius. Naucl. Wymphel. cap. 42. de Roo. pag. 67. (u) Calv. an. 1300. Odor. Rayn A C 1302. n 1. 8. Pal. l. 31. c. 2. n 21. de Roo. p 68. (x) Carion. Nauel. Dubr. Siffr. de Roo. p 74. Cal. 1307. (y) Pal l. c. n. 35 Wymph. c. 42. Carion de Roo. p. 71. (z) Idem l. 1. p. 79. (aa) Pal. in Frid. II. c. 2. n. 129. Naucl. gen. 42. pag 937. Calv. an. 1248. (bb) Ger. de Roo. l. 1. pag. 14. Pal. l. 28. c. 3. n. 5. Calv. an. 1259. (cc) Pal. l. c. n. 8. de Roo. Carion. Herzius in Rudolpho. Calv an. 1257 (dd) Goldastus const. Imp. tom. 3. ad an. 1209. Calv. (ee) Trith. ad an. 1249. apud Joan. Pal. l. 28. c 2 n. 13 Goldast. Const. Imp. tom. 3. pag. 401. (ff) Annal. Boicorum l. 5. pag. 510. (gg) Lib. de Comitiis Imp. cap. 69 (hh) Lib. 3. Chronici in Ottone III. [ii] Tract. Jurispubl. Rom. Ger l. 2 c. 3 (kk) Annal. Eccles ad A. C. 996. n. 64. (ll) In opere Chronologico ad an. 996. à n. 2. ad 10. inclus. [mm] Herm. Hermes fasc. Jurispubl. cap. 35. n. 25. (nn) Trith. apud Calv. an 1215. 1235. 1255. [oo] Cuspin apud Calv. an. 1245. Nauc. gen. 41. pag. 927. Piesfordius apud Pal. l 29. cap 2. n. 9. Herm. Hermes cap. 32. n 2.



Petrus Schubart von Ehrenberg in. et del. *Johann Ulrich Kraus sculpsit*

IN CAROLO IV.
IMPERATORE SAPIENTE
OSTENDITUR, FELICIOREM ESSE GLORIAM ARTE, QUAM MARTE PARTAM.

Non sola Martis fulmine
Prognata lux nitescit,
Aut bellicoso culmine
Laurus decora crescit.
Dum germinat victoria
Sparso cruore nata,
Mox erubescit gloria
Hoc rore purpurata.
Aurora lucis aurea
Est sacra Musis hora,
In hac virescit laurea
Plùs cæteris decora.
Augustiori munere
Palæstra ditat artis;
Quàm fœta tristi funere
Orchestra dira Martis.
Mars sæpe crudus efferat,
Quos subjugat potentes,
Magisque victas asperat
Cæco furore gentes.
Ars blanda mentes nexibus
Constringit illigatas,
Et suavibus complexibus
Emollit obstinatas.
Mars evocatis cœtibus
Dum bella machinatur;
Quot subditorum fletibus
Triumphus irrigatur?
Ars quando regnat, explicat
Pax signa faustitatis;
Jucunda lux tunc emicat,
Et plena claritatis.
Mars ferro & igne diruit
Tot fabricas & ædes;
Ars æviterno construit
Claras honore sedes.
Hæc CAROLI potentiam
Et nomen ampliavit,
Æquissimo scientiam
Favore dum beavit.
Doctis Athenis æmula
Dum Palladis Lycea
Curâ reduxit sedulâ,
Tunc condidit trophæa:
Sic nempe claris artibus
Augusta stat venustas,
Infesta nullis partibus
Quam proteret vetustas.

Cæsares Regésque Germaniæ ab anno 1300. ad annum 1400.

HENRICUS VII. *Lucenburgicus*, natus patre cognomine Lucenburgi Comite A. C. 1262. Hic, dum à morte Alberti Cæsaris Philippus Pulcher Franciæ Rex transferendo rursum in Gallos Imperio inhiaret, maturatâ à Germanis Principibus electione, Imperator salutatus est, & coronatus Aquisgrani. [a] In ordinanda primùm Germania occupatus, Wirtenbergensem Comitem nova molientem Castellis & fortunis ferè omnibus exuit. Joannem filium, cui unicam Wenceslai Regis filiam Elisabetham desponderat, Bohemorum Regem instituit. (b) Italiam etiam ab antecessoribus turbarum causâ ferè neglectam à Pontifice evocatus cùm subijsset, Longobardiam statim omnem obsequentem invenit; Brixiâ & Cremonâ exceptâ, sed quæ mox & ipsæ armis cessêre. Florentiam dein, & in ea factionis Guelphæ potentissimos cùm domuisset, Romam ingressus est; ubi exacto à Romanis tributo, & præmissâ de more Christianæ fidei professione in Laterano à Cardinalibus ritè initiatus coronam accepit. (c) In Hetruriam inde abiens, rebellem Imperio Siciliæ Regem Robertum edicto publico proscripsit; quem ut ditione etiam suâ depelleret, in Apuliam promovit exercitum. At, metuentibus jam Augusti potentiam, eumque idcirco, quâ possent, ad necem quærentibus Principibus Italis, dum Cæsar pietatis causa in festo assumptæ Virginis synaxim sacram accederet, in pane vitæ, speciebus sacris veneno imbutis, mortem sumpsit Bonconventi; post dies 10. extinctus, ac Pisis Regio apparatu sepultus. (d) A. C. 1313. ætatis 51. Imper. 4. Mens. 9. Symbolum: *Calix vitæ, calix mortis.* Pictura Symbolica: manus mutuò se complexæ, & virgam Mercurii coronatam sustinentes, cum Lemmate: *Fide & Consilio.*

FRIDERICUS III. *Pulcher* cognomento, filius Alberti I. Cæsaris, Cæsar ipse ab una Electorum parte, & (nisi Brandeburgensis Legatus Principis sui literas Fridericum postulantis perfidè corrupisset) potioribus calculis nominatus, coronam Imperii contra Ludovicum Bavarum Bonnæ accepit, (e) Jam nuper obtentis ab Alberto patre Imperii Insignibus, auxiliis & fide urbium, tum etiam confirmatione à Pontifice impetrata potens, felici diu marte ditiones æmuli lacessivit. (f) Decretoria tandem ad Müldorffium pugna, non expectatis Leopoldi fratris suppetiis, cum Ludovico congressus est; ubi postquam manu sua 50. hostium Princeps fortissimus confodisset, deserentibus extremam aciem auxiliaribus Hungaris, non animo, sed victoria & fortuna inclinante interceptus, & jussu victoris in custodiam datus est; (g) è qua licèt promissam aliorum ope magica fugæ copiam habuisset, constanter libertatem illam scelere parandam abnuit. (h) Leopoldo tamen fratre, & Joanne XXII. Pontifice accurante, post triennium è captivitate dimissus, in Austriam suam abiit; fide data, ne posthac Bavaris ad dignitatem Imperatoriam aspirantibus Austriaci sese opponerent; cæterùm utrinque anteactorum oblivio induceretur. (i) Addit ex aliis Philippus Brietius, sic inter illos tum convenisse, ut Ludovico Italia, Friderico Germania cederet: sed fœdus illud in favorem Friderici à Pontifice & Electoribus rescissum esse. (k) Ætatem reliquam citra bellicos motus quietus egit; paribus, donec vixit, auspiciis Imperatorio nomine & potestate usus, ut, contra negantes, ex duobus diplomatis, uno Monachii A. C. 1325. altero Ulmæ anno proximè sequenti confectis palam ostendit Cuspinianus. (l) Vitam in arce Austriæ inferioris Guettenstein piè conclusit, moriens verbum ultimum, *Pacem* prolocutus. A. C. 1330. Imper. 16. sepultus propè Viennam in Mauerbacensi cœnobio à se nuper Carthusianis erecto. Symbolum: *Morte beatâ nil beatius.* Pictura Symbol. Corpus truncum & claudum, cum Lemmate: *Adhuc stat.*

LUDOVICUS V. *Bavarus*, Ludovico Severo Comite Palatino Rheni & Electore natus, à morte Henrici VII. post Mensium ferè 14. interregnum, quatuor Electorum suffragiis in Imperatorem assumptus est, & Aquisgrani coronatus. Ex hinc Rudolphum fratrem Electorem Palatinum, quòd is Fridericum Austriacum elegisset, ditione sua (quam tamen eo mortuo filiis hæredibus ultrò restituit) spoliatum in Angliam fugere compulit. (m) Fridericum ipsum, cum quo vario eventu de Imperio diu contenderat, acie superior captivum duxit, faustis piorum prædictionibus ad pugnam cum eo capessendam animatus. (n) A Romanis & Gibellinis potissimùm partibus absente Pontifice evocatus, Mediolani primùm, tum & Romæ à Stephano Columnio, jussu Cleri & populi, in æde S. Petri coronatus, Imperii per Italiam jura repetit; Vicariis in urbes singulas Imperatorio nomine constitutis. (o) Romanis præterea (qui absentiam Pontificis jam ægrè ferebant) instigantibus Petrum Corbariensem, Nicolaum dictum, Anti-Papam nominavit; idcirco à Joanne XXII. Avenione degente anathemati iteratò subjectus, imperato priùs Romanis tributo, non arma, sed venenum & proditionem metuens, Urbe excessit. (p) In Germaniam inde cum exercitu redux, cùm sæpius per legatos placare Pontificem frustrà studuisset, nec responsum, nisi quo Imperium abdicare jubebatur, obtineret, conventum Francofurti indixit; in eo, quia aliter non posset, invito etiam Pontifice Imperium usurpare constituit, publica ibi, & inter lachrymas pietatis testes professione fidei edita: se Deo, fide, Ecclesia, anima nihil charius unquam habuisse; in ea natum, enutritum, mori etiam velle testatus. (q) Sed etiam ad ista nihil permotis Benedicto XII. & Clemente VI. Pontificibus (quia, quò minus illi cederent, Franciæ, Siciliæ, & Apuliæ Reges obnitebantur) (r) alius tandem ab Electoribus Cæsar in Reseensi conventu Carolus IV. Bohemus sublectus est. At Ludovicus, nominato Eduardo III. Angliæ Rege Imperii per Germaniam

(a) Joan. Villanus lib 8. cap. 101. Naucl. Palat. lib. 32. cap. 2. n. 34. (b) Wymphel. cap 34. Herz. Trithem. Calvis. an. 1310. (c) Carion. Naucl. Platina. Calvis. Petavius in Rationar. temp. lib. 9 cap. 5. Goldastus Const. Imp tom. 3. ad an. 1312. (d) Villanus lib. 9 cap. 51. Palat. lib 32. cap. 2. n. 27. 29. Calvis. an. 1313. (e) Naucler. gen. 44. pag. 992 de Roo. lib. 2. pag. 85. Carion. Palat. lib. 34. cap. 2. num. 17. (f) Herzius Bibl Germ. Palat. loc. cit. num. 26. 41. Calvis. 1319. (g) Palat. num. 54 de Roo. pag. 91. Carion. Naucler. Villan. Brietius ad annum 1322. Bussiers in flosc. Histor. (h) Gerard. de Roo. lib. 3. pag. 94. (i) Ibidem pag. 95. (k) Annalium tom. 2. part. 3 ad annum 1325. (l) apud Gerardum de Roo. pag. 95. Herzius part. 3. Chron. Bohem apud Calvis. ad annum 1325. (m) Palat. lib. 24. cap. 2. n. 35. Calvis ad annum 1316 (n) Joan. Palat. lib. 24 cap. 2. n. 48. & seq. (o) Idem n 81. 87. & seq. Wymph. Epit. rerum Germ cap. 44. de Roo. lib. 3. p 97. Naucler. p. 997. (p) Herzius. Platina. Villanus lib. 10. Petavius l. 9. c. 5. Calvis. 1328. & seq (q) Carion. Palat. n. 149. 172. 178. Trithemius. Calvis. 1338. (r) Palat n. 168. Odor. Raynald. ad an. 1335. n. 6. 7. Naucl. gen. 45. p. 999.

Inferiorem Vicario, & Livonia Teutonici ordinis Equitibus contra Polonos confirmata, etsi potens adhuc rerum, non nisi anno superfuit; accepto enim, ut creditur, veneno, dum à venatione remedium quærit, ab urso occursante equo excussus, ex fracto crure, & gravi corporis allisione secundo à Monachio lapide extinguitur. (a) A. C. 1347. Imper. 33. ætat. 60. sepultus in Monachiensi B. V. Ecclesia; cujus dein exuvias tertium ferè post sæculum Maximilianus Elector magnifico Mausolæo donavit. Princeps alioquin infracti animi, humanus, liberalis, & sagax; quique musas artesque, quia puer neglexerat, saltem senex excoluit. (b) Symbolum: *Sola bona, quæ honesta.* Pictura Symbolica, Aquila ad solem conversa, cum Lemmate: *Deo & Cæsari.*

CAROLUS IV. Ex familia Lucenburgica, Henrici VII. Imper. nepos, & patre Joanne Bohemorum Rege Pragæ natus A. C. 1316. Administrante adhuc Imperium, sed diris Pontificum devoto Ludovico Bavaro absens ipse in Gallia in Resensi prope Treviros Conventu ab Electoribus quatuor Imperator deposcitur; speciali Bulla Clementis VI. qui jam diu submoveri Ludovicum, & substitui Carolum quærebat, in ea dignitate confirmatus, & Bonnæ à Coloniensi Archiepiscopo coronatus. Etsi dum Ludovicus superfuit, nomen in Imperio hic tantùm circumtulit, Electoribus converso affectu in priorem adhuc propendentibus. (c) In Italiam privatus semel cum Joanne parente; Imperator electus cum exercitu bis descendit. In ea coronam ferream Mediolani, tum Imperialem Romæ cum Augusta conjuge à Cardinali Ostiensi Pontificis delegato accepit. Paucos in ea dies versatus, quòd non morari illic diutius cum Pontifice pactus esset, ex Urbe Mediolanum se iteratò recepit; ejusdem loci Vice-Comitibus perpetuo per Italiam Imperii Vicariatu concesso. (d) Ornandæ familiæ suæ, & Bohemiæ præ reliquis studiosus, Wenzeslaum filium carò empta ab Electoribus dignitate in Imperio successorem constituit; Sigismundo (qui & ipse dein Imperator) vendicatam auro Brandeburgiam, tum desponsa illi Hungarorum Regis filia, Hungariam etiam adjecit. Poloniam, Silesiam, & Lusatiæ Marchionatum ut inseparabiliter Bohemiæ suæ insertos servaret, Cæsareo ipse diplomate sanxit, & sanciri idem ab Electorum Collegio impetravit. (e) Monasteriis & Canonicorum Collegiis pluribus institutis, urbe Pragensi ornata & ampliata, & ex concessione Pontificis Episcopo loci Archiepiscopali dignitate donato, dum etiam laudatissimis ante mortem monitis Wenceslaum filium, sed non obsecuturum, instituisset, Pragæ ex febri vivere desiit. (f) A. C. 1378. ætat. 62. Imperii à prima electione 32. Princeps, qui ingenio, doctrina, & linguarum peritia excellens, litteratos in pretio semper habuit, eorum consuetudine plurimùm delectatus. Academiam Pragensem ab Innocentio dein VI. confirmatam, fundator erexit ditavitque; in qua dum magna aliquando cum voluptate Magistros Artium de rebus Philosophicis disputantes, horas quatuor audiisset, admoneretürque ab aulicis, cœnæ tempus jam dudum esse: vos, respondit, cœnam quæritote; iste meus cibus, audire de litteris, superat omne ciborum desiderium. (g) Symbolum: *Optimum aliena insania frui.* Pictura symbolica, Lynx vel Panthera, cum Lemmate: *Nullius pavet occursum.*

WENCESLAUS, cognomento *Ignavus*, Caroli IV. filius, ejusdémque adhuc in vita agentis per Romanum Imperium consors nominatus, ætatis anno quinto supra decimum. A morte parentis intra suam ferè Bohemiam ceu privatus delituit. Invitatus ab Electoribus honestissima legatione, ut lustrata Germania rebus Imperii ipse præsens pro dignitate consuleret; venirent ipsi ad Regem, reposuit, nec eundi molestiam ei imponerent, jam à die coronationis suæ, quæ toto vitæ tempore ad regendum Imperium necessaria videbantur, opportunè omnia esse disposita. (h) Dum interim turbatæ passim urbes imperii novis ad invicem fœderibus ab obedientia communi recederent, bella etiam Principúmque dissensiones indies novæ succrescerent, nec Cæsar afflictis rebus mederi præsidio aut Consilio invocatus vellet; in id tandem inter Electores Francofurti conventum est, ut Wenceslaus Imperio decederet: tum ob eam in republica neglecta ignaviam, tum ob alia, quæ antecessoribus Germanis Cæsaribus plurimùm illum dissimilem fecerant. (i) Bis dein à suis, & Sigismundo fratre in custodiam datus, bis evasit; (k) suo ad extremum Bohemiæ Regno contentus, apoplexia ex consternatione correptus obiit, cùm prandenti nunciatum esset, Hussitas cum asseclis seditionem Pragæ movisse, & jam obtruncato senatu ad arcem invadendam accurrere. (l) A. C. 1419. ætat 57. Postquam Imperium obtinuisset annis 21. cum mensibus aliquot, & eo abrogato supervixisset annos 20. Symbolum: *Morosophi moriones pessimi.* Pictura symbolica, Navis tempestate impulsa, cum Lemmate: *Tempestati parendum.*

Electi præterea labente hoc sæculo Germaniæ Reges quaterni alii fuêre, quorum tres Ludovico Bavaro jam defuncto suffecti, unus Wenceslao; sed quia nomine magis quàm gesto Imperio noti in reliquorum serie à plerisque non censentur. Eduardus III. Angliæ Rex, gloria rerum contra Francos gestarum insignis, sed qui rerum suarum satagens delatum recusavit Imperium. (m) Fridericus Severus, Misniæ Marchio & Thuringiæ Landgravius; sed cui auro oblato abnuere dignitatem persuasit Carolus Bohemiæ Rex. (n) Guntherus Schwartzenburgicus; at qui ex propinato in mortem lentam veneno jam dignitati tuendæ inidoneus, accepta itidem pecuniæ summa, Imperio, mox & vita decessit. (o) Fridericus Brunswicensis, ipso finiente sæculo in Wenceslai locum assumptus, dum electione Francofurti peracta ditionem suam compositurus revertitur, ex insidiis per viam occubuit, paucorum dierum Imperator. (p)

Memorabilia Imperii.

SUb initium sæculi hujus, cùm jam nullus Imperatorum Italiam peteret, & Albertus vi sublatus à Germanis esset; magna Italiæ portio secessionem publicam ab Imperio fecit. Longobardi enim & Cisalpini plerique Dominos sibi ex præfectis suis legerunt. Ita Verona & Vicentia assumpsit Mastinos Scaligeros; Mantua & Rhegium Gonzagas, Mutina & Ferraria Estenses, Patavium Carrarienses, &c. Et licet ab Henrico VII. ad Imperii obsequium mox reductæ omnes essent, ab obitu tamen ejusdem rursum audentes, initium jam tum fecerunt divisæ in tot privatos Principes, ætate nostra, Italiæ. (q)

Ab eodem Henrico Imp. in curia Constantiensi sancitum est, ne civitatum Imperialium habitatores extraneis judiciis unquam essent obnoxii. (r)

Deficiente apud Brandeburgicos, in Woldemaro defuncto Marchione, Ursinorum familiâ, Ludovicus V. Imp. Brandeburgensem Marchiam unà cum Electoratu Juris Imperialis effectam, in suam Bavarorum familiam transtulit; eáque primùm investivit Ludovicum filium: sed post annos 50. Carolus IV. Imperator emptione ditionem illam Bohemiæ suæ conjunxit; cui tum Sigismundum filium Electorem præfecerat. (s) Etsi nec hi diu Brandeburgiæ possessores fuêre, ut sæculo sequenti patebit.

Decedente itidem sine liberis Hollandiæ Comite Wilhelmo, Comitatus Hannoniæ, Seelandiæ & Hollandiæ ad domum Bavaricam, & Ludovicum Imperatorem, qui Comitis defuncti Sororem in matrimonio habebat, hæreditate transiit; mansitque, donec Comitatus iidem post annos ferè 100. ad familiam Burgundicam pervenissent, sub annum circiter 1444. (t)

Carinthiæ Ducatus, qui Superiore jam sæculo Maynardo Tyrolensium Comiti à Rudolpho concessus est, dum extincto Henrico Duce, Margaretha Maultaschia ejusdem filia & ipsa liberis careret, unà cum Carniolia & Tyroli ad familiam Austriacam devolutus est, adnitente Ludovico Cæsare, & Carolo IV. donationis illius tabulas confirmante 1364. (u)

A Ludovico etiam in comitiis Francofurtensibus Comitatus Geldriensis in Ducatum, & Juliacensis in Marchionatum evectus est. (x) Mox itidem Juliacum, uti & Mecklenburgum cum Lucenburgo à Carolo IV. inter Ducatus numerari cæperunt. (y)

Schaffhusium, Rheinfelda, Neoburgum, & Brisacum Rhenanæ urbes Austriacis à Ludovico Cæsare, pro 20. aureorum millibus bello impensis, in pignus traditæ. (z) quibus sub Carolo Successore Friburgum etiam Brisgojæ, & hæreditate acquisitus comitatus Feretanus cum Suntgovia tota accessit. (aa) Privilegia tum illis à Cæsare amplissima addita: ne scilicet adversùs Austriæ Archiduces ad Imperii Cameram provocare cuiquam liceret; neque ulla etiam ab Archiduce per subditos provocatio fieret; & si qui litem eidem intenderent, respondere his non tenerentur, &c. Tarvisinam quoque Marchiam cum vicinis aliquot locis, de quibus Austriacis controversia nuper cum Venetis intercesserat, Carolus illis Cæsar addixit. (bb) Insuper & titulo Archi-venatorum Imperii Austriaci hac ætate gaudebant; sed quem illi annorum decursu ad Duces Wirtenbergicos transmiserunt, ut ex Ducum eorum hodiernis Insignibus, cervina cornua referentibus, manifestum est. (cc)

Post mortem Ludovici V. Imp. Bavari, Norimbergæ à Carolo IV. constitutio edita: ut Electoralis Archidapiferorum dignitas, exclusis Bavaris Ludovici posteris, perpetuo Jure ad Palatinos Rheni extenderetur. (dd) Ab eodem Carolo Imp. telonia Rheni, & publica Imperii vectigalia, quæ sub finem prioris sæculi Albertus I. Imperatorum propria esse sanciverat, privatis Principibus oppignorata sunt, & divenditis 16. Sueviæ urbibus Imperii patrimonium non modicè imminutum. (ee)

Alia tamen ex parte rebus Imperii sapientissimè ab illo consultum est, ut qui contractis atque digestis Institutis, ac Imperii moribus antiquis & recentibus, ad ejusdem Imperii Majestatem legem condidit Carolinam, *Bullam Auream* compellatam; idque ad reprimendum Procerum ambitum, & tollenda, quæ incerta electionis lege hucusque nascebantur, dissidia. Statutùm proinde in ea, integris triginta capitibus, de numero, qualitate, gradibus, successione, Jure, & privilegiis Electorum, de Imperatore, eúmque eligendi ratione & ordine, de administratione per Vicarios Palatinum Rheni & Ducem Saxoniæ interregni tempore suscipienda, de Curia Imperiali & sessione, de officiis Principum Electorum in solennibus curiis Imperatorum, vel Regum Romanorum &c. Hæc Bulla tanquam lex fundamentalis Imperii Romano-Germanici in Norimbergensi conventu, ac in corona Electorum recepta & promulgata est A. C. 1356. (ff)

Wenceslaus Imp. Comitatum Montensem in Ducatum transtulit. (gg) Joanni Galeazio Mediolanum cum tota Longobardia ducatûs titulo in feudum concessit; sicque non requisitis Electoribus accepto pretio dominium illud Imperii utile abalienavit: Id, quod magnam acceleratæ depositionis suæ causam dedit Germanis Principibus. (hh)

Tandem ad sæculum etiam præsens refertur Helvetiorum defectio; qui, quòd à Præfectis suis inclementiùs haberentur, specie libertatis, Reipublicæ formam moliri cœperunt; ducto confœderationis initio in Switz oppido, cui se mox pagi alii & urbes junxêre. Hæ in cantones distinctæ, octonæ primùm, at sæculis succedentibus tredecim jam censentur. (ii)

(a) Aventinus. Herzius. Calv. 1347. (b) Naucl. p. 1008. Palat. n 230. 234. (c) Odo Rayn. A. C. 1346. n. 30. 34. Naucl. Pal l. 34. c 2. n. 210. l. 35. c. 2. n 9. (d) Herz. Cari Trith Rayn. Calv. 1355. n. 3. (e) Palat. loc. cit. num. 99. 34 35 Herzius. Albert. Argentin. apud Petavium lib. 9. cap 5. Carion. ad annum 1370. (f) Herzius. Palat cap. 1. n. 20. cap. 2. n. 112. Naucler. Raynald. Brietius an 1378. (g) Carion Æn Sylvius. Hist Bohem. Kranz. Palatius lib. 35. cap 2. n. 111. (h) Dubravius Æn Sylv. hist Boh. c 28. Palat. l. 36. c. 2. n. 4. 6. (i) Idem n 21. 24. 25. Naucl. gen. 47. pag. 1032 (k) Palat n. 29. 30. Naucl. Dubrav. Calv. 1392. (l) Brietius an. 1419. Palat. n 32. & seq 36. (m) Carion Cuspinian. Palat. l. 35. c. 2. n. 10 11 Calvis. 1347. (n) Palat. l. c n. 15. Carion. Trithem. apud Calv 1348 (o) Herzius. Palat. n. 21. Calv. 1349. (p) Lucas de Linda in Wenceslao Herzius in Ruperto. de Roo. lib. 4. p. 137. Calv. 1400. (q) Wymph. c. 44. Petavius. lib. 9. cap 5. Platina apud Calvis. 1308 & 1311. (r) Joan. Palat. lib. 32. cap 2. in fine. (s) Herm. Hermes c. 25. n. 2. Naucl. gen. 44. pag. 993. Merc in Atl. min. tab. Brand. Pal l. 34. n. 55. l 36. n 33. (t) Naucl. gen. 47 pag. 1025. Trith. apud Calvis 1345 & 1390. (u) Gerardus de Roo. lib. 3. pag. 99. Naucler. gen. 45. pag. 999. Calvis. an. 1358. (x) Herm. Hermes fasc. Juris cap. 33. n. 22. Calvis. 1339. Palat lib 34. cap. 2 n. 185. (y) Hermes loc. cit. & n. 29. Cuspin. Ger. Merc. in Atl. min. tab Lucenb. & Juliaci. (z) Gerardus de Roo. lib. 3 pag 98. (aa) Idem pag. 111. & 117. Naucl. gen. 46. pag. 1018. (bb) de Roo pag. 112. Becmanus. Doctr. Juris verbo: Princeps. (cc) Hermes cap. 11. n. 165. Theod. Höping. tract. de Jure Insign. cap. 6. n. 774. (dd) Joan. Palat. lib. 35. cap 2. n 32. 33. 37. (ee) Æn. Sylvius apud Calvis. 1376. Hermes cap. 1. n. 18. Pal. n. 99. Kranz. lib 10. Sax. cap. 3. (ff) Arumæus Buxdorffius ad A.B. Hermes. cap. 1. n. 15 Palat. n. 115. (gg) Trith. apud Calvis. an. 1398. (hh) Herm. Hermes. cap. 4. n. 40. Naucl gen. 47. pag. 1028. (ii) Simlerus apud Calvis. ad an. 1308. 1312. & seq. Carion. an. 1385. de Roo. lib. 3 p 135. Naucl. gen. 44. pag 984. Cluverius Introd. Geogr. lib. 2. cap. 17.



Petr. Schubart von Ehrenberg inv. e del.

J. A. Pfeffel e Engelbrecht sc.

FRIDERICO IV.
CLEMENTISSIMO AUSTRIÆ ARCHIDUCI
PACIFICO IMPERATORI
PLAUSUS GENIALIS.

Eja surge mellearum
Turba dulcis Gratiarum;
Junge lauros, sparge flores,
Nectarisque funde rores;
Et serenas huc Camænas,
In triumphos evoca.

Ite pacis huc Quirites,
Absque tristi felle mites;
Lenitatis administri,
Comitatis & magistri,
Rore loti, melle poti,
Huc Amores currite.

Hinc Furores efferati,
Inq; bella concitati;
Hinc secures, & nefastis
Trux Tyrannis cum catastis;
Turbulentæ, virulentæ
Hinc facessant Mænades.

Pacis author fulminantes
Nescit enses, & tonantes
Fridericus *Martis iras,*
Quas Erynnis dira spiras;
Clariore blandus ore
Sæva nescit fulgura.

Ille sceptra dum tenebat,
Flore pleno pax virebat;
Et fugatos post tumultus,
Tristiores læta vultus,
Absque bellis, & procellis,
Innovabat patria.

Ille quando jura dixit,
Fausta pressis spes revixit;
Nec severa lex paventem,
Aut timenda vis clientem
Liberali, Principali
Submovebat gratiâ.

Ergo Pindi per vireta,
Phœbe clange voce lætâ.
Fama velox astra scande,
Friderici *gesta pande,*
Et decora fer per ora
Cæsaris præconia.

Nempe Reges sunt benigni
Sempiterna laude digni;
In perenni subditorum
Sculpta mente, stat piorum
Gloriosa, gratiosa
Cæsarum clementia.

Cæsares, Regésque Germaniæ ab anno 1400. ad 1500.

RUPERTUS PALATINUS, à commendatione Justitiæ *Justinianus* dictus, natus patre cognomine Duce Bavariæ & Comite Palatino Rheni. Princeps armis promptus, & exercitatus, ingenio acri, majestatis Imperii & Reipublicæ perquàm studiosus, (a) Friderico Brunswicensi sublato, Imperator electus est; &, quia Aquisgranum Wenceslao adhuc superstiti faveret, Coloniæ coronatus. Pontificis & Florentinorum rogatu, ut Galeaciorum potentiam in Italia reprimeret, evocatus, cum exercitu quidem, sed successu minùs favente in eosdem descendit. Italiæ proinde curâ sepositâ in Germaniam ipse suam recessit, quam, totâ propemodum Europâ bellis conflagrante, illæsam decennio sui regiminis felicior servavit. (b) Mortuus tandem Oppenheimii A. C. 1410. Imperii ferè 10. Heidelbergæ sepultus. Symbolum. *Misera res digna est misericordiâ.*

SIGISMUNDUS, Wenceslai nuper Imperatoris frater, & Caroli IV. filius; ab eodem Electoratum Brandeburgicum, tum à Ludovico Hungariæ Rege adoptatus, unà cum Maria filia in conjugem oblata, Hungariæ regnum obtinuit. Post multas illic cum Walachis, Croatis, & rebellibus pugnas, ac commissum cum Amurathe Turcarum Sultano, sed, ob Gallos in acie diffidentes, infelicius prælium in custodiam à suis conjectus, mox solutus majore cum gloria capessivit Imperium. (c) Nam defuncto Ruperto Augusta Comitia, utpote Elector Brandeburgicus cum & ipse evocatus accessisset, ac regii nominis ratione habitâ primus de ferendo suffragio rogatus esset: *Me,* dicebat, *ego novi, alios non item, cùm nesciam, an quispiam alius sit æquè idoneus capessendo orbis imperio, in tanta præsertim Christianæ rei ob Pontificum multiplicitatem agitatione, meipsum nomino.* Approbantibus hunc dicti candorem, & euntibus in eandem sententiam Electoribus reliquis, Imperator esse jussus, & post quadriennium cum Regina Conjuge Aquisgrani coronatus. (d) Eo tempore cùm trium Pontificum perniciosissimo schismate laboraret Ecclesia, primas Imperii curas ad illud tollendum Sigismundus convertit; Legatis ad Principes consilii & subsidii causâ dimissis, Angliam ipse, Galliam, Hispaniam, & Italiam adiit; nec prius acquievit, quàm Joannem XXIII. ad Synodum in Germania cogendam adduceret. Huic Constantiensi in urbe ceu Advocatus Romanæ Ecclesiæ, & Protector præsens interfuit, útque ad exitum, redditâ rebus tranquillitate, perduceretur, authoritate sua & precibus fortiter adlaboravit. (e) In Italiam dein profectus, Mediolani coronâ ferreâ, tum Romæ aureâ in Basilica Vaticana per Eugenium IV. potitus est. Sed coronam Bohemiæ, extincto jam fratre Wenceslao, sibi debitam quò minus impetraret, turbantes ob exustos in Concilio hæresiarchas Joannem Huss & Hieronymum Pragensem diu, & difficillimis præliis Hussitæ obstiterant. Fractis tamen moderatè rebellis Bohemiæ viribus, & Duce Sectariorum Joanne Ziska sublato, in conventu Ratisbonensi Rex agnitus, illos primùm in Romanæ sedis concordiam, tum se etiam hæreditario regno reddidit. (f) Pragæ omnium plausu receptus, cùm fessus laborum jam supremum etiam diem propè esse sentiret, Znoymam Moraviæ urbem transferri expetiit; ubi, dum præsentibus Hungariæ Bohemiæque Optimatibus multo sermone Albertum Austrium Generum suum ac Successorem fidei omnium commendâsset, (g) piâ & Catholicâ, ut vixit, morte humanis excessit. A. C. 1437. Regni Hungar. 51. Bohem. 17. Imperii 27. ætat 70. Corpus, quemadmodum petierat, Varadini sepultum est. Princeps comitate, clementiâ, & affabilitate tantâ, ut cæteros ea tempestate Principes ex merito anteiret; Laurentio Hungariæ Palatino miranti aliquando, quærentíque, cur victis hostibus non solùm vitam & opes relinqueret, sed inter amicos etiam eosdem reciperet? *Tibi,* Sigismundus reposuit, *videtur utile inimicum occidere; neq; enim mortuus bellum excitat: at ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.* (h) Cæterùm non sine opinione sanctitatis defunctus est, & dignus qui SS. Catalogo adscribi posset. (i) Symbolum: *Sic cedunt munera fatis.* Pictura symbolica, Sphæra terrestris positâ desuper coronâ Imperiali, cum lemmate: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

ALBERTUS II. cognomento *Honorificus*, patre Alberto IV. Austriaco in lucem editus A. C. 1399. In bello Hussitarum cùm solus præ reliquis hosti formidabilis Sigismundo Cæsari eximiam operam navâsset, Moraviam primùm, tum & in Conjugem Elisabetham filiam cum Hungariæ & Bohemiæ regnis accepit. (k) A morte Sigismundi intra anni spatium duorum regnorum, & Imperii etiam accessione insignis, tertium illud non nisi importunâ cæterorum familiæ Principum & cognatorum interpellatione admisit; Albæ Regalis, Pragæ, & Aquisgrani coronis singulis cum Elisabetha conjuge solenniter initiatus. (l) Thaboritis domitis postquam turbatæ etiam à Polonis Bohemiæ securitatem reddidisset, expeditione contra Amurathem Turcarum tyrannum susceptâ, Senderoviâ illum & Serviæ finibus, quam populatione hic nuper diu vastaverat, solo nominis terrore victor dejecit. (m) Rebus proinde ex sententia etiam illic confectis, & dissoluto propè Budam exercitu, dum in Germaniam iterum & Austriam suam contendit, ex majori per viam æstu, & peponum esu morbo tentari cæpit; ex quo opinione citiùs haud procul Posonio Christianis Sacris munitus ingenti Reipublicæ Christianæ damno religiosissimè obiit. A. C. 1439. ætatis 40. Imperii 2. Corpori Albam Regalem translato à Regia conjuge (ex qua filium reliquit Ladislaum posthumum) regiè parentatum est. Princeps fuit, dum vixit, clementiâ, liberalitate, ac fortitudine clarus, & qui cæteris rebus longè religionis studium anteposuit; (n) annorum ferè duorum, quibus regnavit, gloriosè gestis, & amplissimâ apud omnes gerendorum fiduciâ decades æquavit annorum; de quo sæpius etiam Sigismundus Cæsar & Socer ejus dicere auditus: *Beata fore regna, quibus similis Alberto Princeps imperaret.*

(a) Henr. Mutius apud Palat l. 37. cap. 2. n. 11. Herzius Biblioth. Germ. part. 3. (b) Carion. Wymph Epit. rerum Germ. cap 47. Petavius Ration. temp l. 9. c. 8. Bussiers flosc. hist. areol 15. Naucl. gen. 47. (c) Palat. l. 37. c. 2. n. 24. Carion. Herzius. loc. cit (d) Dubravius hist. Bohem. l. 23. Palat. l. 40. c. 2. n. 2. 34. (e) Kranzius Saxon. l. 10. c. 29. Palat l c. n. 5. 8. 13. Wymph. c 48. Petavius l. 9. c. 8. Naucl. pag. 1042. (f) Palat. l. c. n. 57. 77. Raynaldus A. C. 1434. n. 24. Naucl. Brietius ad an. 1434.

(g) Gerardus de Roo. lib. 5. pag. 170. & seq. Æn. Sylv. hist. Bohem. c. 35. Calvis ad an. 1437. (h) Carion. Æn. Sylvius. Palat. l. c n. 104. (i) Trithem. Paul. Langius apud Palat. l c. (k) Herzius. de Roo l. 4. pag. 160. & seq. Fugger. in spec. Honor. Austr. l. 4. cap. 6. (l) Wymph. cap. 49. de Roo. l. 5. Naucl. gen. 48. Raynald. A. C. 1438. (m) Carion. Herzius. de Roo l. 5 p. 179. Petavius l. 9. c. 9. (n) de Roo. l. 5. pag. 180. Wymphel. c. 49.

(a) Symbolum: *Amicus optima vitæ possessio.* Pictura symbolica, canis loro alligatus, cum lemmate: *Fide & Constantia.*

FRIDERICUS IV. cognomento *Pacificus*, natus patre Ernesto *Ferreo* Austriaco, ac Duce Styriæ A. C. 1415. Ex profectione Hierosolymitana reversus, cùm annum ætatis vigesimum quintum ageret, concordi Electorum suffragio Francofurti Imperator electus est. Post acceptam Aquisgrani coronam, in Bohemiæ etiam & Hungariæ regnum per Legatos evocatus, tutelam solùm hæredis legitimi, non Jus regnorum, æquissimus Princeps suscepit. (b) Lustratis inde plerisque, & nonnullis etiam lenitate augustâ ad obsequium reductis Helvetiæ urbibus, redux in Austriam Bohemorum motus, & bellum, quod Joannes Corvinus Hungariæ Prorex pueri Regis & coronæ extorquendæ prætextu objecerat, mox statutâ concordiâ, utrinque composuit. (c) Dum interim Eleonora Sponsa Lusitani Regis filia jam Italiæ propior per Mediterraneum adventaret, obvius & ipse in Italiam Fridericus processit; cum ea Senis excepta solennissimè Romam ingressus; Divorum priùs templa & Lipsana, uti & Nicolaum V. Pontificem pedum osculo veneratus est; tum ab eodem Papa in æde D. Petri Sacris operante conjugii vinculo cum Eleonora copulatus, tertio statim post die Romanorum Imperator inunctus, Insignia augusta obtinuit; gestiente ob geminam Augustorum Solennitatem, & acclamante festivum illud populo Romano: *Friderico Pacifico Imperatori vita & victoria.* (d) Ibi Imperator coronatione peracta ex veteri majorum instituto Albertum fratrem, dein trecentos alios in Tyberino ponte Equestri dignitate ornavit: dimissâ Urbe Neapolim, & conjugis in ea Avunculum Alphonsum Regem invisit; unde Venetias converso itinere in Austriam tandem descendit. In ea infestis suorum armis obsessus, prolato in publicum & reddito Viennensibus Ladislao, populi impetum & furorem intempestivum disjecit. (e) Sed ille Hungariâ, Bohemiâ, & Austriâ suâ non diu potitus, morte præmaturâ Pragæ extinctus est; cùm Fridericus Cæsar, contra reliquos Austriacos Principes, & præcipuè Albertum fratrem, potioribus titulis sibi debitam Austriæ ditionem (etsi non sine multo & difficili bello) asseruit. Pro qua tamen longiore mox dissidio cùm Matthia iterum Hungarorum Rege, & ancipiti diu marte contendit. (f) In Flandriam & Brugas digressus Maximilianum filium iniquè à civibus detentum libertati armatus reposuit; Eundem cum Maria Burgundica amplissimarum Provinciarum hærede jam nuper matrimonio junctum, Electorum consensu Aquisgrani coronatum, in Imperii consortem & Successorem assumpsit. Bellis tandem, quæ non asperiore ex genio, sed boni publici necessitate plerumque adductus susceperat, multiplici cum hoste ac eventu sex & viginti compositis, ordinato Comitiis plusquam duodenis Imperio, & pacatâ universâ Germaniâ, Lincii Austriæ piè moritur A. C. 1493. ætatis 78. Imperii 53. Viennæ in Basilica D. Stephani splendidissimo monumento sepultus. (g) Princeps communi scriptorum encomio à clementia commendatus, ut qui & in aliis crudelitatem plurimùm odisset; nec injurias aliter, quàm agnatâ Austriacis lenitate ulcisci soleret. Hostibus aliquando domitis ad suos conversus; *Magnum*, ajebat, *opus egimus; sed majus nunc restat, ut qui hostes vicimus, vincamus nos ipsos, & ultioni frænos imponamus.* (h) Symbolum: *Rerum irrecuperabilium felix oblivio.* Pictura symbolica, manus ferro induta, & quæ gladium evaginatum supra librum explicatum sustineat, cum lemmate: *Hic regit, ille tuetur.*

MAXIMILIANUS I. Archidux Austriæ, Friderico IV. natus A.C. 1459. Integrum ferè novennium à nativitate mutus, mox tamen non sine prodigio linguis omninò septem tam eleganter & disertè locutus est, ut omnibus ferè populis sine interprete jura diceret, & responsa cum stupore audientium redderet. (i) Primam ætatem culturæ ingenii, belli studiis, & venatui potissimùm dedit; in quo gravissimis vitæ periculis sæpe objectus, semel in prærupti montis apicem subitò elatus, cùm descensurus vestigium nullum reperiret viso eminus & oculis saltem delibato Dominico corpore præsentaneam mortem divinitùs evasit. (k) Amplissimis ditionibus per matrimonium cùm Maria Burgundiæ & Belgarum hærede auctus, Rex etiam Romanorum, vivo adhuc & adnitente apud Septemviros patre creatus est. (l) Bella acerrima ab ineunte ætate cum hostibus præpotentibus gessit; in quibus manu semper & consilio promptus, etsi non continuò victoriam abstulit, acie tamen nunquam inferior, aut victus prælio excessit. Ludovicum XI. Franciæ Regem Flandris infestum, devictúmque Guinegetanâ pugnâ castris exuit: (m) Eâdem fortunâ in Blangiaco apud Belgas cum Francis conflictu, ubi priùs cum toto exercitu fusus in genua victoriæ auspici Deo tertiùm supplicâsset, palmam extorsit. (n) Carolo VIII. quòd is Annam Britannicam à morte Mariæ Burgundæ jam sibi desponsam surripuisset, Cameracum, Attrebatum, aliásque Artesiæ urbes sustulit; Eundem Italicis armis implicitum, & à regno Neapolitano redeuntem exercitu victore oppressit. (o) Austriam iterum, Hungaris pulsis, recepit; in ipsa Hungaria plura oppida, & in iis Albam Regalem armis asseruit. (p) Bello Italico cum fœderatis suscepto plerasque in continenti urbes supplicibus & trepidantibus Venetis victor eripuit. (q) Turcas etiam, Bohemos, Batavos, Helvetos, aliósque victricibus ubique signis percelluit; adeò, ut, vel teste Ludovico XI. Galliarum Rege, pulsante belli tympanum Maximiliano, tota in armis rigeret Germania, & Gallia omnis contremisceret. (r) Nec minùs in colenda pace eximius, cum Poloniæ, Bohemiæ, & Hungariæ Regibus Viennam accitis fœdus illud sancivit, quo dein ad Austriacos iterum in Ferdinando I. nepote suo Hungaria transiit. (s) Alter ætate sua Augustus, neminem majori amore, quàm viros doctrinâ conspicuos complexus, & liberalitate prosecutus est; rerum à se gestarum commentarios ipse conscripsit, & Augustissimæ Bibliothecæ Viennensis fundamenta jecit. (t) Annis vitæ postremis parato in sarcophago mortis secum memoriam semper circumtulit: ultimus cùm jam dies illuxisset, non contentus testamenti tabulis inscripsisse, ultrò, qua potuit extrema voce adstantibus sibi Principibus, *renunciate*, inquit, *Carolo & Ferdinando nepotibus meis, ut majorum insistentes vestigiis Catholicam religionem à Germanis hactenus cultam, adversùs novorum dogmatum authores sectatorésque cum vita etiam periculo defendant.* (u) Obiit optimus Princeps Welsii in Austria Superiore A. C. 1519. ætatis ferè 60. Imperii 26. Corpus Viennam & mox Neostadium deductum, ibidem sepultum est. Nihil dum vixit, illo mitius, nihil mansuetius, aut benignius fuit. Rogantibus, cur malè de se meritos non ocyùs malè perderet? *Parcendum esse*, respondit, *ut rursus victis ignoscere integrum sibi esset.* Illud etiam vulgare sibi iteratò dictitans: *Fideles subditos semper lætos è Principis conspectu debere discedere.* (x) Symbolum: *Tene mensuram, & respice finem.* Pictura symbolica, rota supernè pomum Imperiale sustinens, cum lemmate: *Per tot discrimina.*

Sub initium sæculi hujus, abdicato Wenceslao & ante Rupertum Imperator electus est Jodocus Moraviæ Marchio; sed qui nihil memoratu dignum cùm gessisset, post menses ab Electione sex, octogenarius obiit: idcirco à paucissimis Imperatorum catalogo insertus. (y)

Memorabilia Imperij.

TErtio sæculi labentis anno Antverpia, cùm hactenus in Flandriæ comitum ditione fuisset, ad Brabantiæ Duces transiit, Marchionatûs Imperii titulo à Ruperto Cæsare ornata. (z)

Reliquæ item Provinciæ Belgicæ à Jacobo Hollandiæ Comite, & Philippo defuncto Brabantiæ Duce ad Burgundos hæreditate transeunt; Brabantia nempe, Hannonia, Hollandia, Zeelandia, Frisia, & Namurcensis Comitatus; eas Philippus Bonus Burgundiæ Dux primus accepit; (aa) à quo Ordo Equitum aurei Velleris in ipsis nuptiarum Solennibus Brugis Flandriæ celebratis institutus est, ac honori Deiparæ & Andreæ Apostoli dicatus. (bb) Defuncto Philippo Carolus filius, Audax dictus, ditionibus reliquis Geldriam, Zutphaniam, & Lucenburgum adjecit. (cc) Quæ Provinciæ omnes sub finem sæculi ad Maximilianum I. & Domum Austriacam hæreditario Jure cum Maria Caroli Burgundi filia devolutæ sunt. (dd)

A Sigismundo Imperatore in Constantiensi Concilio Sabaudiæ & Cliviæ comites in ordinem Ducum promoti; & Marchia Brandeburgica cum Electorali dignitate ad Norimbergensem Burggravium ex Comitibus Zolleranis translata, cùm Jodocus Moraviæ Marchio, ad quem ea ditio emptione nuper pervenerat, sine liberis decessisset. (ee)

Idem Cæsar (Alberto Saxoniæ Duce & Electore, qui postremus supererat ex Bernardi Anhaltini progenie, vitâ functo) ditionem illam cum annexo Electoratu, Friderico Misniæ Marchioni in feudum contulit; (ff) ex quo hodiedum Misnia penes Saxonem Electorem est.

In Italia Mantuæ subsistens Sigismundus, Franciscum Gonzagam Marchionali dignitate, & datis aquilis Imperii Insignibus ornavit; (gg) Borsium verò Marchionem Estensem Fridericus Imp. Mutinæ & Rhegii Ducem creavit. (hh) In Germania inferiore Holsatiam Ducatûs, & præfecturam Embdensem Comitatûs nomine auxit. (ii)

Borussia, quæ hactenus Juris Imperii & penes administrationem Ordinis Teutonicorum erat, impar armis Polonicis, eorundem clientelæ se dedit; Supremus Magister Ducis titulo accepto fidelitatem jurare jussus Poloniæ. (kk) Id quod ad sæculum sequens, & annum 1525. non pauci rejiciunt.

In Suevia, adnitente Friderico, ad pacem mutuò tuendam, & contra Helvetos potissimùm, fædus Suevicum *Clypeus S. Georgii* dictum, inter Principes, urbésque conceptum est, ad Caroli V. usque tempora constanter, & ex legibus observatum. (ll)


Juncti sunt in unum hoc sæculo, diversis tamen temporibus, & in unam familiam reducti Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducatus, Comitatus Marchiæ & Ravenspergæ. (mm) Comitatus item Cilleæ, defuncto ejusdem Comite Udalrico, Ducatui Styriæ, & reliquis Austriacorum provinciis à Friderico annexus est. (nn)

In Comitiis Wormatiensibus ex Maximiliani I. Imperatoris & Ordinum consensu, quia tribunalia cætera tot causis agitandis non sufficerent, Camera Imperialis instituta est A. C. 1495. quæ ambulatoria primùm, dein Spiram translata Spirensis dici cæpit, & in qua lites controversæ inter mediata & immediata Imperii membra ex Institutione Cæsaris & Statuum per Judicem seu Præsidem & Assessores expedirentur. Estque hoc Judicium Rottweillensi longè superius, & Judicio Imperiali aulico proximum. (oo) Ibidem Austregarum, seu Judicii inferioris ordinis institutio facta; (pp) Comites Wirtenbergici in Duces evecti; (qq) & decreto inter cætera sancitum, ut Septemviri in sua quisque ditione scholis publicis, vel Academiis sedem figerent. (rr)

Hoc demum sæculum est, in quo post Albertum II. non interruptâ serie, ex sola Austriacorum familia Imperatores deligi cæpêre; idque, ut ait Scriptor Gallus, magno Ecclesiæ bono; pietatis sine dubio præmium & religionis, quæ huic familiæ semper innatæ fuerunt. (ss)

(a) Naucl. gen. 48. p.1061. Vernulæus Epit.hist.p 297. Brietius ad an. 1437. (b) Æn. Sylv. de Roo.l 5.p.186. Rayn A.C.1440.n.12. (c) Calv.ad an.1452.de Roo.l.5. p.191. & seq.l. 7.p 273. (d) Herzius. de Roo.l.5.p.205. Naucl. gen 49.p.1076 Carion. Raynald. A. C. 1452. (e) Idem l.c.n.7. de Roo.l,6.p.210. Fugger.Spec.Honor Austr.l.5.c.6. (f) De Roo.l.7.p.282. Herz. Naucl. gen.49 p 1088 1094. (g) Herz de Roo à lib.5.ad 10 Fugger. l.c.toto lib.5. Raynald. A. C 1476. 1477.& seq. (h) Vernulæus de Virtut:Austr.l 3.c.1.n.1. lib.2. c.4.n.2. Æn. Sylv. l. 2. de dictis Alphonsi. (i) Herz. Vernulæus l.c lib.1.c.9.n.1. (k) Idem c.3.n 2. Fugger.l.c.lib.6.c.20. n.12. (l) Naucl gen.50. Fugger lib 5.c.26.& 33. de Roo l.9. Vernul. Epitom.hist. p.298. (m) Cuspin. apud Calvis. 1478. de Roo.l.9. Fugger.l.5.c.28.n.12. (n) Vernul.Virt.Austr.l 1.c.2.n.2. (o) Petavius l.9.c.10. Carion. de Roo.l.10.à pag.386. (p) Raynald. A.C.1490.n 12.14. Fugger.l 5. c.38. n.7. Roo.l.10 p.383. (q) Carion.ad an.1507. Roo.l.12. Fug. l 6. Vernul. Epit hist. p.298. Calv. 1509. (r) Fugg.l 6.c.20.n.17. (s) Raynald.& Calv.A.C.1515. Fug.l.6.c.17. de Roo.p.467. (t) Herz. Vernul.Virt.Austr.l.1.c.8.n.1. (u) Ibid.c.1.n.1. (x) Vernul. Virt.Austr.l 2.c.4.n.3. &c.8.n.3.

(y) Naucl. gen. 47. 1032. Briet. & Cal. ad an. 1410. (z) Scrib.apud Cal.an.1403. (aa) Pontus Heuterus rerum Burgund.l.4.c.3.5. Calv.1428.1430. (bb) Herm. Hermes. fasc.Juris cap.38 n 1. Calv.1430. (cc) Heuterus l.4.c.9 Calv.1444.1471. (dd) Heuterus l.c. Carion an.1477. Naucl. gen.50.p.1102. Fugger. l.5. c 26. (ee) Carion. Herm. Hermes fasc. Juris. c.25. n.2. Pal. l.40 c.2. n.102. Naucl.p.1064. (ff) Palat l.c.n.71. Herm.c.18 n 59. Kranz. Calv.an.1423. (gg) Petavius l.9. c.8. Palat. n 60. (hh) Naucl. gen.49. p.1079. Carion. Briet. ad an. 1452. (ii) Hermes.c.33. n 41. Höping. de Jure insign. c. 6. n. 833 Ger. Merc. tab.Embd (kk) Klock.l.1.c.11.n.25. Calv. 1466 Herm. c 4. n.34. (ll) Naucl. gen.48 p.1053. Annal.Suev.apud Calv.1488 (mm) Gerard. Merc tab.Westphal 3. Hermes c.33.n.22. (nn) Ger.de Roo l 6.p.228. Fugger.spec Honor. Aust. l.5.c.11. (oo) Hermes.cap.13.n.3. Reinkingius l.2 Class.2 c.14. n 8.9. Rhoding in Pandect. Cameral.l 1.tit.2.n.3. (pp) Reinking.l.c.cap 16.n.13. Herm. c.15. n.12. (qq) Carion. Naucl gen. 50 pag. 1114. Mercat. Herm. c. 33. n. 30. (rr) Aventinus apud Calv. 1495. (ss) Brietius ad A. C. 1440.



Petrus Schubart von [illegible] inv. et Del. | Ioann Ulrich Kraus, Sculp.

CAROLO V.
MAXIMO, FORTISSIMO, FORTUNATO, VICTORIOSO, CARMEN TRIUMPHALE.

*Antatrix operum veni Camæna;*
Facundâ Caroli *trophæa venâ*
Decantans, titulos revolve veros,
Queîs claruit inclytus Heros.

Non tam magnanimo vigore, fortes
Cimbrorum Marius potens cohortes
Stravit, Romulidûm venusta lauro
Quem gloria cinxit, & auro.

Non tot Priamides novis duellis,
Mersit Grajugenas rates procellis:
Nec Marcellus ovans micante parmâ
Sic Punica contudit arma.

Ut magni Carolus *Monarcha mundi,*
Et terræ, & domiti Timor Profundi
Hostiles acies per arma fregit,
Adversaque signa subegit.

Quà Phæbus roseas rotat quadrigas;
Et seras movet alba luna bigas;
Victoris Caroli *levat perennis*
Se bellica gloria pennis.

Illum deposito minor furore,
Victorem coluit fragrante rore
Fortunatus Arabs, treménsque missis
Gens horruit Afra sarrissis.

Hunc victus famulo Garumna fluctu,
Et terso Dominum supina luctu
Rheni ripa tulit, magis secundas,
Hoc Cæsare, dum dedit undas.

Qui multam cumulat ferox rapinam,
Supremam timuit Getes ruinam,
Dum vidit Carolum *trophæa vivi*
Tot clara referre Gradivi.

Mavors Teutonidûm, poténsq; Rector,
Nunquam Christiadûm silendus Hector!
Florebit tua semper absque nævo
Laus parta, perennis in ævo.

Hæc crescet stabili decora flore,
Fulgebit merito nitens honore,
Et seri Caroli *canent nepotes*
In posthuma sæcula dotes.

Cæsares Regésque Germaniæ ab anno 1500. ad annum 1600.

CAROLUS V. Austriacus, natus Gandavi in Flandria A. C. 1500. Maximiliani I. nepos, ex Patre Philippo, & matre Joanna filia Ferdinandi Regis Catholici. A prima ætate sub Hadriano Florentino (summo dein Pontifice) laudatissimè institutus; anno ætatis decimo quinto, cùm in Hispaniis parens præmaturè obiisset, Provinciarum Belgicarum cum Burgundia administrationem suscepit; post biennium Hispaniarum Rex inauguratus, defuncto tandem etiam Maximiliano, Imperium Romano-Germanicum anno ætatis undevigesimo. jam tum gerendis rebus maximis maturus Imperator adeptus est; Aquisgrani primùm, tum Bononiæ post annos decem à Clemente VII. Pontifice ritu solenni coronatus. (a) Magnæ fortunæ, sed majoris virtutis & fortitudinis Princeps, utpote qui felici ut plurimùm successu tam multa, támque difficilia bella confecit, quanta nullus ante ipsum Rex, aut Imperator gessisset. Victorias illustriores quadraginta de hostibus retulit; expeditiones bellicas plusquam septuaginta ad exitum optatum perduxit; castella, quæ cepit, supra centum millia, urbes decies octingentæ, naves supra decies octingentas fuêre; Nunquam acie victus, nunquam castris exutus. Bella per Hispaniam quatuor, atque ea contra rebelles semper victor suscepit. In Italia pugnavit octies, eo successu, ut inter reliqua nobilissimum victoriæ spolium, Franciscum I. Franciæ Regem, nuper pro Imperio æmulum, ex prælio Ticinensi in triumphum abduceret. Romam (etiam cùm nollet) per Duces suos invictus accepit: Neapolitanos acie duplici expugnatos subjecit. (b) Germaniam signis sexies prolatis composuit; &, cùm inturbantes Smalcaldici fœderis principes moveret, non integris octo mensibus apud urbes atque ordines Imperii ferè omnes, ut obsequerentur, effecit. Ibi Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philippum Hassiæ Landgravium adversarum partium Duces memorabili ad Mülbergam Saxoniæ pugna vicit cepítque; primum, quia cedere pertinacia, & Concilium Tridentinum amplecti abnueret, translato in Mauritium ejus fratrem Electoratu, imperio ditionibúsque proscripsit; sic dimisso ad summum Pontificem de pugnæ eventu nuncio: *veni, vidi, Christus vicit.* (c) Delatum in Austriam cum ingenti exercitu Solimanum Turcarum Imperatorem, & Viennæ armis obsessæ inhiantem sola adventûs sui fama in fugam conjecit. Is, cur inferiores longè numero Caroli copias formidaret? quæsitus: *fortunam Caroli timeo,* reposuit, & arma tanti æmuli experiri non ausus, cum dedecore, nec sine multa à Viennensibus clade ad sua reversus est. (d) At Carolus adhuc in suo victoriæ cursu, in Belgio novies, in Geldriæ & Juliaci ditione septies, vicibus singulis in Bohemia & Dalmatia, ter apud Allobroges cùm feliciter depugnasset; quasi etiam tot victoriis Europa angustior foret, bis in Africam expeditione suscepta, Tunetum seu antiquam Carthaginem in suam potestatem redegit, & deletis illic hostium ducentis sedecim millibus, domitæ genti barbaræ Muleassem Regem dedit. In sola America Reges octodecim, & duos in iis Mexicanum & Peruanum Imperatores per suos duces subegit. Ubique summi consilii, vigilantiæ, celeritatis, & fortitudinis prodigium Carolus nullo eventu, aut magnitudine hostium territus: *quò plus periculi,* ajebat, *eò plus gloriæ.* (e) Hærente sub extremum ad Metas fortuna, qui tot alios nuper jam vicerat, seipsum immortalis eo facto Imperator vicit; cùm abdicatis Regnis & Imperio, illa in Philippum filium, hoc ex Principum Electorum consensu in Ferdinandum fratrem transmisit. Ipse in Hispaniam profectus, ut Deo totus suprema ætate vacaret, in Monasterium S. Justi cum famulis paucis secessit; ubi dies noctésque fundendis Deo precibus intentus, & quotidie synaxi sacra refectus, religiosè post biennium obiit. A. C. 1558. ætat. 58. Imper. 37. Granatæ in Cathedrali Ecclesia juxta avum, aviámque sepultus. (f) Princeps sine dubio *Maximus fortissimúsque*, sic à Paulo III. Romano Pontifice, etsi cognomen tantum ipse palàm recusaret, compellatus. (g) Illud in Cæsare tot bellis distracto mirabile, quòd semel duntaxat toto vitæ curriculo, bello nempè Africano, rem divinam omiserit; idque, cùm ea propter detonantem tempestatem fieri omnino in prætoria navi non posset. (h) Nimirum non nisi pius pugnare, sicut nec vincere nisi clemens voluit; illud inter alia laudatissima dicta solenne usurpans: *Nulla victoria sine Clementia.* Symbolum: Metæ Herculis, seu columnæ geminæ mari insistentes, & coronatæ, cum Lemmate: *Plus ultra.*

FERDINANDUS I. cognomento *Pius*, Caroli V. frater, Medinæ in Hispania, sed Austriaca & Germana origine Philippo patre natus A.C. 1503. Bohemiæ & Hungariæ Regnis per Matrimonium auctus, dum Austriam etiam cum hæreditariis huic annexis provinciis à fratre haberet, in spem successionis Romanorum Rex electus est Coloniæ, & coronatus Aquisgrani A. C. 1531. Anno verò 1558. quo Carolus in Hispaniis obiit, unanimi Electorum consensu Imperator est salutatus. Dum absens Carolus in Italia, Hispania, aut Africa armatus rem gereret, pro Regia ipse dignitate administravit Germaniam; multa in ea pro religionis indemnitate, & concordia Principum sapienter disposuit; (i) nec minus in Solymanum Hungariæ invasorem, & ejus sequacem Transylvaniæ Principem animatus, diu & feliciter hostiles eorum motus sustinuit. (k) Virtutibus multis eximius, sed præcipuè Religionis Catholicæ Studiosissimus Princeps, ut qui etiam adversùs fidei novatores recens natam Jesu Societatem primus in Austriam Viennámque induxit, Academici ejusdem Collegii Augustus fundator. (l) Anno altero, à quo terminatum feliciter, & illius auspiciis multa Europæ parte receptum est Concilium Tridentinum, Viennæ Austriæ moritur. A. C. 1564. ætat. 60. cum Mensibus 9. Imperii post fratrem Carolum gesti. 7. Pragæ ad Annam conjugem sepultus. Dum viveret, viris literarum cultoribus, scientiisque ut maximè delectatus: *se gemmas,* ajebat, *& thesauros malle perdere, quàm literas nescire.* (m) Natura, & domestica Austriacis dote ad clementiam comparatus, omnis ordinis & fortunæ homines ad se sine fastu fastidióque admisit: *si nos,* inquiens, *excludimus pauperes à conspectu nostro, quid*

H

nobis

(a) Nic. Vernulæus Epitom. hist. pag 299. Herzius Biblioth. Germ. part. 3. Calv. an. 1519. Spondanus an. 1520 1530 (b) Herz. & Vernul. loc cit. Petavius. Ration. temp l. 9. c 12. Massenius. Anim. Hist. l. 2. Tursellin Epit. hist. lib. 10. c. 6. Herz. Calv. Spondan Briet. an. 1525. (c) Massen. lib. 7. n. 18. & seq. ad n. 24. Vernulæus de Virt. Austr. l 1. c. 2. n 3. l 2 c. 6 n. 4. Herz. Spondan Brietius. an. 1547. (d) Vernul Epit. Hist. pag. 300. Massen. lib. 4. n. 91. (e) Vernul loc. cit. & l 2. Virt. Austr. c 5. n. 2. Bussiers. flosc. Hist. areol. 15. Heuterus. Austr. l. 9. 10. & seq. (e) Herzius. Fam. Strada de Bell. Belg. dec. 1. lib 1. Massen. lib 7. Heuterus. lib. 14. c. 1. 2. 6. 7. Spondanus. an. 1556. n 3 & 1558. n. 9 (f) Massen. lib. 7. n. 155. Vernulæus Virt. Austr. lib 3. cap 4. n. 4. (g) ibidem. lib. 1. cap 2. n 3. Massen. Anim. histor. lib. 7 ad finem. (h) Herzius Biblioth Germ. part 3. Massenius Anim Histor lib. 2. n. 26. & seq. Spondanus ad an 1526. n. 13. 1555. n. 3. 1558. n. 7. (i) Vernulæus Epitom. hist pag. 301. (k) Herzius loc. cit Brietius an 1564 Orlandinus hist. Soc. lib. 10. 11. 13. (l) Vernulæus Virt. Austr. lib. 1. c. 8. n. 3. (m) Idem Epit. Hist. pag. 301.

nobis ipsis ad tribunal Dei eveniet? (a) Symbolum: *Fiat justitia, ne pereat mundus*, & illud: *Accidit in puncto, quod non contingit in anno.* Pictura Symbolica: Aquila biceps positis utrinque vexillis sphæræ armillari & reticulatæ insistens, cum lemmate: *Christo Duce.*

MAXIMILIANUS II. Patre natus Ferdinando I. Viennæ A. C. 1527. Eidem, uti & patruo Carolo in gravissimis Germaniæ expeditionibus socius inter belliduces adfuit; Mox ductâ in conjugem Mariâ ejusdem Caroli filiâ, Hispaniam ab illo aliquamdiu prorex gubernandam suscepit. Vivo etiamnum parente Rex Romanorum initiatus, illi rebus mortalibus haud diu post exempto Imperator successit; intra annum tribus coronis, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæque potitus. (b) Accrescentem in Hungaria Turcarum potentiam, destinatis in id munus præclarissimis ducibus, exoptato plerumque eventu coercuit; urbes, arcésque ad Transsylvaniæ fines præ reliquis munitas (inducias coacto cum hoste in octennium pactus) ditionibus suis iteratò asseruit. (c) In Germania periculosè gliscentem factionem Grumbachianam, ejusdémque primarium fautorem, Ducem Wimariæ, mulctâ perpetui carceris, & arce Gothâ dejectâ, citra tumultum dissipavit. (d) Ad desertum ab Henrico in Franciam reduce Poloniæ Regnum invitatus cùm esset, desiderari, quàm venire & accipere maluit; ne, dum coronam illam à Stephano Bathorio præoccupatam ereptum iret, bello simul non necessario se regnúmque involveret. (e) Valetudine diu afflictâ usus, tandem Ratisbonæ in ipsis Comitiis, & quasi inter ordinum Imperii complexus, optimè de republica Christiana meritam animam Creatori reddidit. A. C. 1576. ætat. 49. Imper. 12. Princeps, qui Augusti parentis sui exemplo, semper viris eruditione præstantibus plurimùm deferebat; non tam aulam, quàm literatorum Academiam in aula aluit: ex eo etiam, quòd in Viennensi literarum Gymnasio ingeniorum cultarum florere magna cum laude sciebat, urbem illam frequentiùs incolere solitus. Ipse, inter cæteras dotes, omnigenis scientiis, & ac curatâ octo linguarum notitiâ imbutus, eruditorum exemplar. (f) Symbolum: Aquila globum terraqueum in aëra attollens, cum lemmate: *Dominus providebit.*

RUDOLPHUS II. Maximiliani prædecessoris Augusti filius, natus itidem Viennæ A. C. 1552. Patre procurante an. 1572. in Regem Hungariæ, & post triennium ad Bohemiæ etiam Imperiique coronam assumptus; altero statim, quo Maximilianus defunctus est, anno solus rerum potitus est: inter pacem & bellum medius. Nam Germaniam, si quid ibi in religionis causâ, aliisve dissidiis turbatum esset, authoritate ut plurimùm interpositâ concordem ipse reddidit. Hac ratione Catholica Aquisgrani religio contra sectarios ab illo firmata est; & molesta pro Argentorati Coloniæque infulis, ac successione Juliacensi controversia citra publicos belli apparatus tranquillè composita. (g) Hungariam à Turcis incursantibus magis inquietam, & ex parte ereptam, Fratrum ductu & auspiciis diu victor pervasit. Filleckinum, Hatvaninum, Strigonium, Pesthum, Albam Regalem, Jaurinum, aliásque urbes & castella munitissima hosti eripuit; eundem Zrinio, Collonitsio, & Ruswurmio ducibus terná clade rejecit, cæsis in suprema acie sexaginta Turcarum millibus, & ipso Ibrahimo turpiter fugato. (h) Vicennales exinde cum Achmete Sultano inducias iniit; cum Bostkajo etiam Transsylvaniæ, Moldaviæ & Walachiæ Principe ea lege reconciliatus, ut à morte ipsius ad Austriacos iterum Transylvania integra rediret. (i) Tandem, cùm jam electo in Regem ab ordinibus Matthiæ fratri Austriam, Hungariam, Bohemiámque cessisset, mortalem etiam vitam, haud diu superstes, Pragæ exuit A. C. 1612. ætat. 60. Imper. 36. ibidem in templo arcis S. Vito dicato sepultus. Cælebs totam ætatem vixit, librorum, quàm liberorum amantior Princeps; literatorum sui temporis Mæcenas incomparabilis, quoscunque alibi eruditione præstantes comperisset, in aulam evocatos adlegit. In omni ipse disciplinâ cultissimus, Mathematicam præcipuo studio cum Tychone Brache insigniter erudito excoluit; præter scientias, artésque reliquas, Latinam, Germanicam, Hispanicam, Gallicam, Italicam, Bohemicámque linguas locutus. (k) Symbolum: *Omnia ex voluntate Dei.* Pictura symbolica, Aquila sagittam librans cum lemmate: *Adsit.*

Memorabilia Imperii.

ANno sæculi labentis quinto in Comitiis Coloniensibus Palatinus superior sub Ducatûs Neoburgici titulo, duxit initium; Ruperti Palatini jam defuncti liberis datus; qui nuper à Georgio Duce Bavariæ socero suo hæres quidem Bavariæ totius institutus, sed quia dispositioni Cæsaris (Alberto Bavaro etiam aliquid attribuentis) non acquiesceret, ad deferendam pariter reliquam ditionem armis coactus est. (l)

In Comitiis Trevirensibus, Coloniæ dein continuatis, nova ditionum Imperii distributio facta est; cúmque jam sub initium sæculi hujus circuli sex per Germaniam numerari cœpissent, quaternis noviter adjectis decem tandem eorum sunt constituti; nimirum: Austriacus, Burgundicus, Rhenanus inferior, Saxonicus superior, Franconicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus superior, Westphalicus, & Saxonicus inferior. (m) Authorem hæc celebris institutio habet Maximilianum I. de quo, utpote superiore sæculo in Imperatorem electo, jam ibidem à nobis actum est. Quæ verò Provinciæ, ditionésve circulo cuivis insertæ sint & subjectæ, passim dabunt Geographi.

Gravissimè, si unquam, sub initium Caroli V. laboravit Imperium; cùm nascente Lutheri Sectâ pars in veteri religione constans, pars novatores secuta, magnum etiam animorum dissidium inter Cæsarem ac Principes Germanos induxit. Proscripsit cum doctrina pestifera authorem Cæsar in comitiis Wormatiensibus, & quidquam in rebus religionis innovari edicto vetuit. Post annos octo, cùm pertinaciùs obnitente Luthero malum nihilominus invalesceret, in Spirensi conventu renovavit ursitque sententiam Carolus: sed contra quam cum affeclis durioribus protestati Joannes Dux Saxoniæ, & Philippus Hassiæ Landgravius, *Protestantium* nomen in Lutheri Sectam invexêre. Anno sequenti, id est, 1530. concinnata à Philippo Melanchtone & oblata est Cæsari in Augustana Curia, nec tamen approbata, *Augustanæ confessionis* formula; qui eam receperunt sectarii, *Confessionistæ* dicti, Smalcaldiæ conventu indicto fœdus illud famosum inierunt, quo in Catholicos conjurati pòst intestino diu bello perturbârunt Germaniam. At Cæsar finem dissidiis ab universali Concilio promittebat; quod donec assumeretur, *Interim* suum neutri parti probatum, capitibus viginti quinque contextum Augustæ procudit. Donec tandem rebus sic exigentibus, majorum turbarum metu, prout Cæsar ipse protestatus est, *Transactione Passaviensi*, Religionis in Germania libertatem Ferdinandus Caroli frater & successor an. 1552. indulsit. (n) Cum Anabaptistis sub idem tempus exortis, Westphaliámque turbantibus facilius negotium fuit; ut qui breviùs insanientes mox Episcopi Monasteriensis & Principum armis vires ac audaciam amisêre. (o)

Aucta amplissimè crevit hoc sæculo Austriacorum potentia à Carolo & Ferdinando Imperatoribus. Carolus ab avo paterno Maximiliano I. Imperium, ac Belgium totum cum Burgundiâ; à materno, Ferdinando Rege Catholico Hispaniarum, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, & Sardiniæ Regna, cum ingentibus aliis occidentalium Indiarum provinciis hæres obtinuit: (p) His ipse Mediolani ducatum, & Insubriam totam (cùm Franciscus Sfortia suæ familiæ Dux postremus obiisset) successor adjecit. (q) Ferdinandus cum Anna Uladislai Regis filiâ, & Ludovici in Mochacziensi pugna sublati sorore unicâ, Bohemiæ, & Hungariæ Regna adeptus est. (r) Qui etiam emptum nuper à Carolo fratre Sueviæ ducatum in divisione hæreditatis ab eodem accepit, sed Cadamicâ transactione post annos 14. Udalrico Duci Wirtenbergico redditum, ea lege, ut feudum posthac immediatum maneret Domûs Austriacæ, atque hæc in casu vacantiæ pleno jure succederet. (s)

A morte Caroli, quia sparsæ diversis orbis partibus Austriacæ ditiones ab uno administrari ægrè possent, in duas tum lineas totius familiæ est facta divisio; in Carolinam nempè & Ferdinandeam: huic Imperium, Bohemia, Hungaria, Austria, & siquid in Germania superiore reliquum; illi, in Philippo II. Caroli filio, Hispania, Belgium, Burgundia, ditiones Italicæ, Indicæque servatæ sunt; juribus mutuæ successionis (in casu defecturæ stirpis) utrinque & perpetuò integris.

Præterea Cæsar Carolus inter alia constitutionis Wormatiensis privilegia, Archiduces Austriæ (qui jam diu per Fridericum I. Carolum IV. & Sigismundum Impp. à Jurisdictione Cameræ exempti erant) non tantùm à Cameræ, sed alterius etiam cujuscunque in Imperio tribunalis Jurisdictione immunes exemptosque fecit. (t)

A Carolo demum etiam primus Florentiæ & Hetruriæ Dux datus est è Mediceorum familia; uti & Parmensibus & Placentinis è Farnesiis Italiæ principibus. (u)

Ferdinandus I. Quia certo jam loco aulæ sedem, & Residentiam (ut dicunt) Imperatores figerent, Judicium Imperiale *Aulicum*, ordine, legibúsque datis, instituit. A. C. 1549. Auxit illud postea Maximilianus II. & Matthias sequenti sæculo renovavit; ita, ut Cæsarem sequeretur ubivis diutius commorantem. (x)

Provinciæ Belgicæ, quas septemdecim numero sub annum 1530. Carolus Imperator plenè conjunxerat, in partes iterum anno circiter 1572. abiêre. Primi Hollandi, & Zeelandi, ob immodicas Albani Ducis exactiones, & adstrictam accuratiùs religionem, libertatis signum sustulêre. Accesserunt ad illorum dein fœdus urbes cæteræ, & in eam coaluêre rempublicam, quæ *Fœderatorum Ordinum* hodiedum dicitur. (y) Manserunt tamen in clientela Imperii, & missis ad Comitia Principum legatis, tributum pro suscepta in Turcas expeditione obsequentes contulerunt. (z)

Calendarii forma, quam, correcto vetere Juliano computo, Gregorius XIII. Pontifex novam induxerat, in Comitiis Augustanis à Rudolpho II. Cæsare, & Catholicis Imperii ordinibus A. C. 1582. recepta est; multùm contranitente Electore Saxoniæ, qui correctionem illam utpote necessariam probaverat quidem, sed quia à Pontificiis solùm profecta esset, partium odio eandem apud suos non admisit. (aa) Hinc ad finem usque sequentis sæculi pro religionis diversitate *stylo novo & veteri* dies & tempora computata sunt.

(a) Ibidem pag 302. Herzius. Spondanus an. 1548 n. 17. & 1564. n 29. (b) Brietius. an. 1567. Calvis. an. 1568. Vernul. loc. cit. Herzius. (c) Idem. & Calvis. ad an. 1566. (d) Herz. Calv. ad an. 1566. (e) Calv. Spond: Briet. ad an. 1575. (f) Just. Lipsius in dedic comment. ad Tacitum. Herz. Vernul. Virt Austr l 1. c. 8 n 5. & cap. 9. n 6. (g) Vernul Epitom. hist. pag. 302. Brietius ad an. 1592. (h) Herzius. Vernul. loc. cit Tursellinus Epit. hist. l 10 cap. 9. Briet. an. 1595. & seq. Calvis an. 1587. 1593. & seq. 1601. (i) Tursellinus loc. cit. Petavius lib. 9. c. 13. Calvis. an. 1600. 1605. (k) Vernul. Virt Austr. lib. 1. cap. 8 n. 3. & cap. 9. n. 5. (l) Fugger. spec. hon. Austr. lib. 6 cap. 6. n. 3. Calvis. ad an. 1503. & seq (m) Idem. an. 1511 Spondan. ad an. 1512. n. 20. Fugger loc. cit. cap 15. n 8. (n) Spondanus Annal tom. 2. A. C. 1521. n. 2. 1529. n. 10 1530. n. 4. 1548. Brietius, & Calvis. ad eosdem annos. Vernulæus Virt. Austr. lib. 1. cap. 1. n. 2 Massenius. Anim Hist. lib 1. 2. 3. & seq. Vide Goldastum const. Imperial. tom. 2. Constit. 3. 9. 14. & 18. (o) Brietius ad an. 1525. 1535. Calv. ad an. 1533. 1535. Spondanus. A. C. 1522. n. 8. & seq. (p) Fugger. spec. Hon. Austr. l. b. 6. cap. 18. n. 5. & 7. Pontus Heuterus Austr. lib. 7. cap. 12. lib 11. cap. 18. Idem in Geneal. Regum Siciliæ & Neap. Massenius. Anim. hist. lib 1. n. 19. & seq. (q) Heuterus lib. 7. cap. 5. 9. 10. Guicciardinus hist. lib. 15. Carion. Calv. an. 1535. (r) Spondanus. A. C. 1526 n. 13. Heuterus rerum Austr. lib. 4. cap. 1. & 2. (s) Annal. Suev. apud Calvis. an. 1520. & 1534. Herm Hermes fasc. Juris cap. 35. n. 104. Vernulæus Epit. hist. pag. 301. (t) Hermes. loc. cit. cap. 13. n. 23. ad an. 1530. Goldastus. Const. Imper. tom. 2 Const. 5. (u) Joan. Bussiers. Flosc. hist. Areol. 15. Tursellinus. Epit hist. lib. 10. cap. 6. (x) Limnæus. apud Hermetem. cap. 12. n 8. (y) Petavius ration temp. lib. 9 cap. 12. Spondan. ad an. 1581 num 9. Fam. Strada de Bell. Belg Dec. 1. lib. 7. (z) Herm. Hermes fasc. Juris. cap. ult. num. 27. (aa) Spondanus & Calvisius ad an. 1582. Bussiers flosc. Hist. areol. 15. sub finem.


SÆCULUM IX IMPERII ROMANO GERMANICI
L
Virtutum et Sæculorum Compendio

LEOPOLDO MAGNO,
IMPERATORI JUBILÆO,
VICTORIOSO, PACIFICO,
VIRTUTUM ET SÆCULORUM COMPENDIO,
DITHYRAMBUS SÆCULARIS.

ACCeDat aMœna
CantanDo CaMœna;
Læta CLangat granDe noMen,
paCe Conſtans proDat oMen.
Canora FaMa ſCanDat,
proMpta DoCto neCtare;
aC Magna faCta panDat
De MonarCha Cæſare.
hoC MoDerante ſCeptra,
teMpora Ceſſant pLena DoLore;
teMpora fLorent pLena DeCore.
neMpe CœLo Dante teLa
aD reCepta Marte beLLa,
peCtore Magno DeCertare,
aC othoManos DebeLLare,
CæDere thraCeM,
ConDere paCeM
DeCebat CæſareM.
MonarCha LeopolDe,
ſoL Mente, Leo CorDe!
ſaCrâ DoCente norMâ
Deo Cohortes CoMparas;
beLLans deCente forMâ
ſCythas rapaCes eDoMas.
Cæſar Magne, Deo Chare;
hæMo Lege Datâ CLare;
Lætâ Mente CeLebranDe,
ſeMper paCe CoronanDe!
ſCeptra prênDe MeLLea,
beLLa DeMe feLLea,
paCata ConDe teMpora.

Cæſares, Regésque Germaniæ ab anno 1600. ad 1700.

MATTHIAS I. Natus patre Maximiliano II. Viennæ A. C. 1557. Moderante ſupremum Imperium fratre Rudolpho II. multa pro illo proſperè,& ex publica utilitate per Hungariam geſſit; victoriarum contra Turcas ferè omnium, quarum ſæculo ſuperiore in ejus actis meminimus, manu & conſilio ductor. Inclinante jam in ſenium fratre, & à republica ſæpius abſtinente, Bohemiam ipſe, Hungariam, Auſtriámque ab illo, non diu reluctante, obtinuit. Tandem etiam, cùm is vitâ deceſſiſſet, acceptis Francofurti auguſtis Inſignibus ex Septem-Virorum conſenſu gubernationem Imperii electus Cæſar ſuſcepit. Heterodoxis, in quos pronior ante delatum Imperium credebatur, converſo affectu, multùm infenſus, conſilia eorum ſæpius, molitionésque evertit; Reformatis præcipuè Calvini ſequacibus, qui interregni tempore etiam cum Catholicorum injuria liberiùs ſectam ſuam protenderant, pro meritis iniquior; Mülhemium ab illis muniri cœptum disjecit, nudo ſolùm & ſine mœnibus manere juſſo municipio. Cæterùm toto, quo rebus Germanis Imperator præfuit, ſeptennio in id unum incumbere viſus eſt, qua ratione firmam inter adverſas Principum ſectarúmque partes concordiam, ac pacem ſanciret. Vigere juſtitiam ante omnia voluit, ſed quam tanta benignitate temperavit, ut *Mitiſſimus* paſſim Cæſar audiret. Ducto jam à Bohemis rebellibus graviſſimæ per Germaniam tempeſtatis initio, in pace Matthias emoritur Viennæ A. C. 1619. ætat. 62. Imper. 7. Princeps in eo præ reliquis laudatiſſimus, quòd decedens ſine liberis de ejusmodi ſucceſſore proſpexerit, qui par turbis undique conſurgentibus & Majeſtatem Imperii, & avitæ religionis incolumitatem adverſum tot hoſtes pro dignitate, pietatéque defenderet. Symbolum: *Concordi lumine major*, & illud: *amat victoria curas.* Pictura Symbolica: Aquila ſceptrum & pomum Imperiale ſolem versùs attollens, coronâ Imperiali juxta poſitâ, cum Lemmate: *Firmatum cælitus ommen.* (a)

FERDINANDUS II. Patre Carolo Archiduce, Ferdinandi I. Imperatoris tertiò genito filio, & tum Styrorum dynaſtâ, Græcii natus A. C. 1587. Imperavit hæres paternus à Caroli obitu relictæ ſibi Provinciæ, & jam tum, limitum causâ, memorabile bellum cum Venetis feliciter expedivit. Mox (cedente jus ſuum Alberto Belgarum Principe, qui Rudolphi & Matthiæ frater, proximus regnorum & Provinciarum hæres ſupererat) à Matthia Cæſare in ſucceſſorem adoptatus, Auſtriam primùm ab eo, Hungariæ dein & Bohemiæ Regna, coronâ utraque inſignitus accepit. Hæc tamen, uti & imminentem jam illam à fidei hoſtibus bellorum ſeriem, ne aliunde, quàm à pietate auſpicaretur, An. 1600. humili viatoris habitu inſtructus, & pedes ipſe cum regia conjuge ad Deiparam Lauretanam in Italiam conceſſit; fœdus ibi cum Caſtrorum Acie Ordinata pactus eſt adversùs Europam, quæ dein conſpiratione malignâ in caput Ferdinandi, & Auſtriacæ domûs excidium ferè omnis conjuraverat. A peregrinatione redux, & munitus jam Deo primum Bohemorum rebellantium impetum arctiſſimè Viennæ obſeſſus ſuſtinuit; cùm ab Electoribus Francofurtum evocatus, etſi Bohemis plurimùm obnitentibus, concordibus cæterorum ſuffragiis in Matthiæ defuncti locum Imperator ſuffectus eſt, ſolenniter ibidem inauguratus & coronatus Anno 1619. Menſe pòſt non integro, publicè arma proferente Bohemiâ, Fridericus ab illis Palatinus in Regem aſſumptus Turriano & Mansfeldio ducibus Cæſarem petiit; at Mansfeldium deductis è Belgio copiis, Bucquoio Duce, Ferdinandus oppreſſit. Exinde pacatâ per Maximilianum Bavarum Auſtriâ, junctis ſuorum copiis de utroque hoſte & reliquo fœderato exercitu victoriam non ſine prodigio abſtulit. In monte albo ad Pragam ſito pugnæ decretoriæ locus erat; in quo poſt cæſas hoſtiles acies, & depulſum Urbe & Regno Pſeudo-Regem Fridericum, honori D. Virginis de Victoria, in memoriæ monumentum, Eccleſiam victor dicavit. Hungariam eadem tempeſtate Regio pariter nomine Gabriel Bethlenius invaſerat; ſed & hunc, poſtquam abolitis illic ſectarum novitatibus Moraviam, Luſatiam, & Friderici profugi ditionem in obſequium Cæſar recepiſſet, incuſſo armorum metu ad ſaniora perduxit; metuentem etiam erroribus ſuis, & idcircò tumultuantem ſuperiore in Auſtria plebem ruſticam per Comitem Pappenheimium domuit. Securitate in Provinciis hæreditariis redditâ, in Italiam converſus, Gallis magis obnoxium Mantuæ Ducem urbe expugnatâ, ad obſequium clientelare coëgit. Dum interim repurgandis ab hæreſi ditionibus ſuis omni ſtudio Cæſar intenderet, Germania reliqua adhuc bello Proteſtantium ardens Chriſtianum IV. Daniæ Regem in Ferdinandum commoverat; quem Duce Tillio ad Luthram acie victum, multisque Principum fœderatorum urbibus per Wallenſteinium ereptis ad pacem & arma ponenda compulit. Hoſtis tamen mox alter à multis temerè in bella ruentibus evocatus Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex ab Aquilone proceſſit. Hic aſſumptis in partes Brandeburgo & Saxone Electoribus, exciſi etiam à Tillio Magdeburgi injuriâ irritatus, cùm jam nemo victori obſiſteret, ſuo imperio Germaniam interiorem ferè omnem ſubjecit. Lipſienſi potiſſimùm pugnâ ſuis ſucceſſibus famam paraverat; & actum de Germania erat, niſi confiſus Deo & in Belliducum virtute Cæſar, cruento quidem utrinque prælio, hoſti vicem rependiſſet. Nam Adolphus ipſe tot victoriis inclytus ultimam Ferdinando in fatali ad Lutzenam acie cum vita reliquit. Reliqui, qui ſupererant, Sueci ductores Saxonicis adhuc &

(a) Hiſtoria nova noſtri temp. P. Chriſt. Ott. S. J. lib. 1. cap. 2. Vernulæus. Epit. hiſt. pag. 303. Mich. Herzius. Biblioth. ſcript. Germ. part. 3. num. 218. Spondanus in Annal. Eccl. Proluſione ad ſæc. 17. & Calviſius. ab an. 1611. ad an. 1619. Ludovicus Schönleben. diſſert. Polem. de prima Origin. Domus Habſpurg. Auſtr. part. 2. cap. 8. Prærog. 8. §. 11.

Brandeburgicis armis nixi, in Imperio & Bohemia post hæc vario diu marte pugnaverant, & Bernardo Waimario Fœderatarum Imperii civitatum antesignano cladem aliquando Cæsareis intulerunt, sæpius passi sunt; ultimùm, ex quo respirare illis non facilè licuit, ad Nordlingam gloriosissimè à Ferdinando devicti, duodecim millibus suorum cæsis, sexies mille captivis, & signis tercentum amissis, palmam cesserunt. Aderant Cæsari in auxiliis Ferdinandus Infans Hispaniæ, & Carolus Dux Lotharingiæ; Ferdinandus ipse filius pro parente Augusto aciem fortiter moderatus est; quem Cæsar, ubi positis priùs odiis, & Pacificatione Pragensi in concordiam cum Electore Saxone rediisset, jam nuper Hungariæ & Bohemiæ coronis insignem, tertiâ etiam Electum ritè Romanorum Regem ornavit. Duobus à firmata in Ferdinando filio successione mensibus, non bellis, sed cumulo victoriarum (quarum nullam sibi, sed cælo omnes adscripserat) pientissimus Imperator succubuit, religiosè mortuus Viennæ A. C. 1637. ætat. 58. Imper. 17. Græcii, loco nativitatis sepultus. Princeps omni virtute eximius, & verè temporum nostrorum David, cui nec Saules, nec Achitopheles, sed nec Numinis par præsidium, & manifesta sæpe de cælo auxilia defuêre. Galliæ, Angliæ, Sueciæ, & Daniæ Reges, Venetorum, Batavorum, & Helvetiorum Respublicæ, Sabaudiæ, & Transylvaniæ Principes, Saxonici circuli Dynastæ propè omnes, Bohemi rebelles, cuncta demum Protestantium in Imperio optimatum ac urbium arma, inito Parisiis fœdere, in Ferdinandum juraverant; sed cui inter id genus humana molimina nihil unquam à Christiana constantia remittenti unum semper præsidium obfirmata in Deum fiducia fuit. Vulgatum privatis, publicisque sermonibus ferebatur: Christum de Cruce pendentem collocutum fuisse Ferdinando, atque in spem certæ opis erexisse. (a) Et quidem vicem liberatori Deo reddere impensè semper Ferdinandus connixus est, ut qui uni Deo, & reducendæ ubivis Religioni Catholicæ, non finibus ampliandis tot bella susceperat. Certè suis conatibus centies centena animarum millia ab erroribus sectariorum reduxit. Ecclesias & cœnobia divino augendo cultui perampla instituit; Societatis Jesu Patribus domicilia decem erexit, plura vectigalibus annuis, censibusque adjectis liberaliter auxit. (b) Ut quàm verissimè in compendio de illo à Romano scriptore dictum sit: *Hæreseos fulmen, Ecclesiæ clypeus, Imperii corona, pietatis antistes, sacrarium, ac templum Ferdinandus.* (c) *Post Constantinum Ferdinando non fuisse parem Imperatorem*, Carolus Caraffa Apostolicus ad Aulam Cæsaream Nuncius Urbano VIII. perscripsit. Quid hostes etiam? Gustavus Rex Sueciæ, inter omnem belli fortunam, *unam sibi formidini Cæsaris esse virtutem*, confessus est. Budensis etiam Vezirius auditis Ferdinandi victoriis: *Ferdinandus sanctus est*, ajebat, *Deus cum illo est, & pro illo pugnat.* (d) Symbolum gessit, binas palmas Regiâ coronâ implicatas, cum Lemmate: *Legitimè certantibus.*

FERDINANDUS III. A. C. 1608. Græcii Styrorum metropoli, Ferdinando II. patre in lucem editus, Rex Hungariæ coronatus An. 1625. post biennium Bohemiæ simul insignibus, & coronâ potitus est. A Ducis Wallensteinii obitu Paterni exercitûs curam summa cum potestate Belli-Imperator suscepit; primum bellicorum operum, Ratisbonæ tum à Suecis infessæ obsidionem aggressus, dubium, armis, an pietate Rex piissimus vicerit. Nam publicas ibi Christiano ritu supplicationes mediis in castris Eucharistico cultui Ferdinandus instituit; comitabatur ordinem ipse singulari pietatis exemplo, quem tribuni, centuriones, milites armati, tubis, tympanis, & machinarum æneaurum fragore velut in triumpho resonantibus, ac diffusâ latè ardentium facum luce sequebantur. Sic ex Augusti Parentis institutione & placito à pietate bellum auspicatus, non Ratisbonam tantùm, sed urbes etiam alias 50. infra dies totidem victor adeptus est. Nordlinganâ inde pugnâ Suecorum vires cùm feliciter attrivisset, Franconiam Sueviamque obsequentes victoriæ fructum retulit; mox etiam coronam Imperii, quam in Regem Romanorum electus & coronatus Ratisbonæ obtinuit Anno 1636. idque adnitente sapienter Ferdinando patre, qui laudatissimo testimonio: *Placere sibi*, ajebat, *Ferdinandum filium esse in Romanorum Regem electum; non quia filium videret in solio, sed quia in solio videret, cui regula regnandi imperandique esset futura divini honoris cura, & Catholicæ Religionis propugnandæ zelus, subditorum & patriæ salus.* Hanc spem patris, dum is paulò post obiisset, implevit abundè superavitque ut nominis & Imperii, sic virtutum paternarum successor Ferdinandus. Initio, Gallasio duce, ad Pomeraniam usque Suecum hostem persecutus, vario dein eventu Banerium, Dorstensonium, Wrangelium, & Königsmarchium, militiæ adversæ ductores (ipse ab omnibus ferè Germanis Principibus desertus) sustinuit. Leopoldo Archiduce ac fratre, Hazfeldio, Piccolomineo, Werthio, aliisque ducibus in Gallos, & sparsas adhuc Suecorum copias pugnavit; nunquam virtute, sed numero sæpius victricibus hostium signis inferior. Gallos ad Philippopolim, Treviros, Dutlingam, ac aliis Sueviæ locis; Suecos ad Augustam, Mempenam, Lemgoviam, unà cum Gallis ad Mergenthemium, semel Bohemiâ totâ, tum ad Brunnam Moraviæ aut vicit, aut urbibus interceptis vel obsessis depulit. Cladem vicissim ad Rhinfeldam, Lipsiam, Janchoviam, & Nordlingam passus, Friburgum & Brisacum, aliásque præterea per Bohemiam urbes, sed mox redditas, nec inultus amisit. Tandem, ne unus tamdiu tantam belli molem Cæsar traheret, turbarum pertæsus pacem cum utroque hoste Monasterii Westphalorum & Osnabrugæ composuit, laboranti tum Germaniæ perquàm necessariam. Annis exhinc novem in ordinando Imperio, & successione disponenda piè & sapienter actis, ad locum æternæ pacis religioso obitu emigravit, Justus, Pius, ac Sapiens Imperator. Viennæ A. C. 1657. ætatis 49. Imp. 20. ibidem ad PP. Capucinos intra urbem Monumentis Austriacorum illatus. Inter multas optimi Cæsaris dotes sapientia plurimùm & pietas eluxêre; ob illam Germaniæ Salomon compellatus; hujus studio adeò in colendam Virginem Matrem totus juraverat, ut impetratam à summo Pontifice de Immaculato ejusdem Conceptu festivitatem cum pridiano jejunio in hæreditarias ditiones induceret. Marmoreum præterea in foro aulico divinæ Matris colossum cum statua posuit; & Universitatem Viennensem eò adduxit, ut jam ad gradus publicos in ea aditus non pateret, nisi priùs juramento emisso, propugnandi & asserendi purissimam sine labe originis Conceptionem Virgineam. Symbolum: *Honestè vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere.* Pictura symbolica, Bilanx, cujus lingua & manubrium Crucifixus, cum Lemmate: *Pietate & Justitiâ.* (e)

FERDINANDUS IV. Natus patre hujus nominis III. A. C. 1633. Hungariæ & Bohemiæ Regnis jam nuper initiatus, in Romanorum etiam Regem electus est Augustæ Vindelicorum, & Ratisbonæ coronatus An. 1653. sed ostensus tantùm Imperio, dum in spem maximam Augustæ familiæ & regnorum succrescere creditur, præmatura morte, si in ætatem respicias; si innocentissimæ pietatis merita, & aliam cæli providentiam spectes, non immaturè ereptus est; mutavitque in perenne & melius, non amisit Imperium. Patre proinde Imperium adhuc obtinente filius Ferdinandus, non servato naturæ ordine, Viennæ moritur A. C. 1654. ætat. 21. Ibidem sepultus. Symbolum: sceptrum inter geminas palmas erectum, insistente desuper inter radios cœlestes oculo, cum Lemmate: *Pro Deo & populo.* (f)

LEOPOLDUS I. Magnus, Pius, Felix, Augustus Imperator. Natus est Patre itidem Ferdinando III. Viennæ Austriæ metropoli A. C. 1640. Mensis Junii Die 9. DD. Primo & Feliciano ominosis nominibus sacro. Ferdinando fratre humanis erepto, homagium Archidux Austriæ, & honoris Insignia Viennæ An. 1655. accepit. Anno eodem Posonii Rex Hungariæ coronatus, mox sequenti hæreditarium Bohemiæ diadema adjunxit. Donec è vivis etiam abeunte Augusto Patre, in augustis Francofurti Comitiis, frustrà Austriacæ gloriæ obnitente æmulorum invidiâ, conspirantibus Electorum suffragiis ad supremum Imperii fastigium Leopoldus evectus est A. C. 1658. Nondum biennium ab imperio suscepto expleverat, cùm geminos, Fridericum III. Daniæ, & Casimirum Poloniæ Reges submisso auxiliari exercitu, & pace procuratâ contra Suecos in Regnum securos reduxit. Magnorum post hæc Regum exemplo provincias suas lustrare aggressus est, itinere in Styriam, Carinthiam, Carniolam, Forum Julium, & Istriæ partem suscepto. Ex quo redux, cùm bellum inexspectatum à Turcis Transylvaniam Hungariámque contra fidem turbantibus immineret, ad indicta Ratisbonæ comitia, imperii ibidem auxilia petiturus, se contulit An. 1663. Quibus ex sententia actis, missisque continuo in hostem copiis, media hyeme post exustos Esfekini pontes, Quinque Ecclesias cum circumsita ditione vectigales effecit; semel cæsis hostium ter denis millibus per Comitem de Souches ad Levenczam vicit, memorabili dein per Montecuculi ducem ad S. Gotthardum prælio victoriam simul & pacem deprecantibus Turcis extorsit An. 1664. Per Ligusticum interim & Adriaticum mare Margarita Hispaniarum Infans in Augustissimi sponsam advenerat. Quam eo, qui non nisi tantos sponsos decebat, apparatu tum Vienna exceperat; sed illa duorum quidem filiorum, & trium filiarum mater, non nisi Mariam Antoniam (Maximiliano dein Bavaro nuptam) superstitem vidit; & ipsa post annum à nuptiis septimum præmaturè defuncta. Sub idem tempus grande iterum per superiorem Hungariam ab intestinis popularium motibus discrimen proruperat; sed quod Cæsar fractis rebellium viribus, Eperiesino recepto, & capitibus perduellionis resectis dispulit. Simul etiam à redactis ad ultima Batavis invocatus, Bonnâ primùm urbe, & Coloniensium ditionibus reliquis, tum toto ferè Fœderato Belgio Gallum hostem rejecit. Ad alteras exhinc nuptias in Styriam profectus, Græcii cum Claudia Felicitate, Ferdinandi Caroli Tyrolensis Comitis & Archiducis filiâ solennissimè jungitur. An. 1673. sed cui vita, uti & susceptis ex ea duobus fœminei sexûs liberis, non diu superfuit; quâ proinde post triennium defunctâ, tertiam tandem Augustissimam Conjugem Eleonoram Magdalenam Theresiam, Philippi Wilhelmi Neoburgici, ac Electoris Palatini filiam Leopoldus delegit, magnam à virtutibus, & felicissimam Serenissimæ Augustæque stirpis parentem; nuptiæ (quibus nullas ardentiùs expectavit Austria) Passavii celebratæ sunt die 14 Decembris. An. 1676. Has arma iterum, & fervens adhuc cum Francis bellum excepit; in eo cæsus Turrenius, quingenti è Gallica nobilitate deleti, captus profligato exercitu Crequius, repulsus cum clade Dux Lucemburgicus, Treviri & Philippopolis ad deditionem coactæ; Sueco etiam, quidquid nupero bello Germanico & pace Westphalica suum fecerat, penitus ereptum. Mansit tamen hosti Gallo potior Alsatia, & citerior Pomerania Sueco reddita, quæ mox pace inter partes Neomagi redintegratâ utrique concessa fuent An. 1679. In Hungaria rursus Duce Teckelio turbari res cæptæ, ut, quæ sectariis illic copiosè degentibus piè & fortiter negabatur, hi errorum fidei libertatem

afferre-

(a) Gullielm. Laimormaini S. J. lib. de virtutibus Ferdin. II. cap. 2. num. 3 Eufeb. Nierembergius in Virtute Coronata. part. 2, cap. 4. §. 1. pag. 276. (b) Petrus Lotichius in Comment. Rerum German. tom. 2. à pag 421. ad pag. 436. & in Compend. belli Germ. à p. 95. ad 212. Vita & Virtutes. Ferd. II. conscriptæ à P. Guilielmo Lamormaini S. J. Vernulæus. Epit. hist p. 303. & seq. Item in lib. de Virt. Austr. Historia nostri temp Adolphi Brachelii à lib. 1. ad 5. inclusivè. P. Christoph. Ott lib 1. & 2. Herzius. parte 3. n. 221. Bussiers. flosc. Hist. Areol 16. Dionys. Petavius. Rationar. temp. lib. 9. cap. 14. Spondanus in Prolus ad sæc. 17. Calvisius & Brietius. ab an. 1600 ad 1637 Herm. Hermes in fasc. Juris. publ. cap 32. n. 8. (c) Hortensius Pallavicinus lib. de Cæsaribus. in Ferdin. II. pag. 158. apud Ludovicum Schonleben. dissert. Polem. de prima Orig. domus Habsp. Austr. part. 2. cap. 8. prærog. 8. §. 12. (d) P. Guilielmus Lamormaini de Virt. Ferdin cap. 30. (e) Historia nostri sæculi Adolphi Brachelii lib. 5. 6. & 7. & P. Christoph. Ott. S. J lib. 4. Vernulæus Epitom. hist. pag. 305. & lib. 1. de Virtut. Austr. cap. 3. n 5. tum aliàs Mich Herzius. Biblioth script. Germ. part. 3. n. 223. Petrus Lotichius in Compend. belli German. à pag. 212 & seq. Ludov. Schönleben differt. Polem. de prim. orig. domus Habsp Austr. part 2. cap. 8 prærog. 8 §. 13. Wassembergius in Panegyrico. Ferdinando III. dicto. Spondanus in Prolus. ad sæc. 17. ab an 1634. Calvisii Continuator ab an 1634. ad an. 1650. (f) P. Christoph. Ott. in Hist. nostri temp. lib. 4. cap. 3. sub finem. Ludov. Schonleben. loc. cit. §. 14.

afferent. Indictis proinde Sopronienſibus comitiis (in quibus etiam coronam Regni Augustæ Conjugi magnificentissimè contulit) lenire offensorum animos æquissimis conditionibus Cæsar conatus est; veniâ delinquentibus nuper, si reversi in fidem Cæsaris resipiscerent, ibidem concesſâ; sed dum rebellium antesignanus Teckelius jam Cassoviâ, Eperiesino, Tockaino aliisque potiretur, & Principis etiam titulum cum Insignibus Regni à Sultano Turcarum accepisset; non nisi armis oppositis restingui ambitiosus hic hominis furor & bellum potuit. Fœdus initio inter Pontificem, Cæsarem, Poloniæ, & Venetiarum Rempublicam in hostem Christianitatis sancitum est; qui, ut ex prodromis non dubiis satis patebat, evocatus à rebellibus repentinâ incursione in Austriam factâ Viennam ducentorum millium exercitu metuendus obsederat; Teckelio interim aliis cum cohortibus ad Posonium populante. Sed propugnante urbem fortiter Rudigero Comite Starenbergio, & junctis in suppetias Joanne III. Rege Poloniæ, Bavariæ & Saxoniæ Electoribus, Ducis Lotharingiæ Caroli Archistrategi Cæsarei potissimùm ductu, cæsus hostis, & castris omnibus exutus in fugam conjectus est anno 1683. Usus exhinc victricibus armis Imperator, anno adhuc eodem florem militiæ Turcicæ ex fuga reliquum ad Barkanum cecidit. Tum Strigonium, Vicegradum & Vaciam eodem cursu victoriæ trepidantibus eripit, cæsis priùs ibidem & internecione deletis vicenis hostium millibus. Ad Budam dein, etsi frustra primò tentatam, per Ludovicum Badensem auxiliares Turcarum copias acie superat, & jam altera vice castris exuit, tentoriis omnibus & bellico apparatu in prædam obtentis an. 1684. In Sclavonia Verovitiza cum oppidis ferè ducentis subacta; & dum armatâ manu per Æneam Capraram Uyvarinum expugnatur, Dux Lotharingius propè Strigonium ingenti clade Seraskierium profligat an. 1685. Anno sequenti in conspectu nihil audentis hostilis exercitûs, Regni Metropolis Buda armis afferta est; quam secutæ vi aut fame coactæ Quinque Ecclesiæ, Sicklosium, Segedinum, Esseckinum, Agria, Mongatsinum, Alba Regalis, Petro-Varadinum, Belgradum, Canischa, aliáque nominis haud minoris præsidia. Ad Sicklosium Generalis Cæsareus Comes Veterani ter eodem die cum 5000. suorum hostem aggressus, Turcarum ac Tartarorum 22000. impedimentis omnibus occupatis delevit an. 1686. Pari clade haud procul inde à Maximiliano Bavaro hostes affecti an. 1687. In Servia & Bosnia quater per Ludovicum Badensem cum opimis spoliis triumphatum, fusis fugatísque paucâ suorum manu amplis barbarorum exercitibus an. 1688. & 89. Alibi in superiore Hungaria semper turbidus, sed & semper cum clade rejectus Teckelius desperatis rebus in hosticum abire compulsus est. Jam etiam Albaniæ maximam partem Piccolomineus Generalis victor insederat, contremiscente ad tantas gloriosissimi Leopoldi victorias Asiâ, & Constantinopoli titubante; cùm ob turbatum à Gallo rursus Imperium miles distractus otium hosti ad fractas jam vires reparandas concessit. Actum tamen, ut præter amissum (scelere, an incuriâ?) Belgradum, hostis in afferta Cæsareis armis Hungaria nihil jam posset, ad Salanckamenum à Ludovico Badensi, cæsis in acie 25000. fortissimè profligatus an 1691. Anno sequenti Varadinum majus, & pòst Gyula hosti erepta sunt. Semel dein ad Lugosium Comite Veterani Ductore, expeditione alterâ haud procul Temeswarino sub Electore Saxoniæ fortiter quidem, sed eventu incerto pugnatum cùm esset; decretoriâ tandem ad Zentham pugnâ per Eugenium Sabaudiæ Principem Ottomanorum furor contritus est, cæsis aut Tibisco profluente mersis triginta hostium millibus an. 1697. Pax inde victo data, & Carlowizii in Sirmio ad pactorum rationes firmata est, missis utrinque amplissimis Legationibus; ad firmiorum quàm unquam (ut ominari facilè licet) securitatem Hungariæ. Tristem interim belli facem hostis Gallus ad Rhenum circumtulit, & nec pacis Neomagensis, nec induciarum vicennalium an. 1684. Ratisbonæ sancitarum ratione habitâ, Belgium adhuc Hispanicum, & potissimùm Palatinatum inferiorem armis subegerat. Donec auspiciis iterum Augustissimi Cæsaris hostium furor ex parte coërcitus, rejectæ trans Rhenum hostiles copiæ, Moguntia & Bonna recepta sunt Anno 1689. Cùm cætero ferè tempore miles Cæsareus Ludovico Badensi Duce ad Rhenum excubat, & hostis interim Belgico adhuc alibi, Hispano, & Italico bello exercitum pariter & ærarium inter varios eventus atterit, optatissima tandem Germaniæ, & toti ferè Europæ pax rediit, in arce Ryswicensi inter Cæsarem & fœderis Principes cum Francorum Rege conclusa an. 1697. Dum sic bellum inter & Pacem molem Imperii fortis Atlas Leopoldus sustinuit; potentissimorum hostium armis, perfidorum insidiis, veneno etiam & iniquissimis in excidium Austriæ æmulorum consiliis, (Deo semper in salutem excubante) superior. Hoc Numine orbam diu Familiam florentissima in spem maximā sobole non succrescentem modo, sed & adultā vidit; ab hoc etiam Josephum Augustum an. 1687. Hæreditarium Hungariæ Regem coronatum, Augustis pariter Germaniæ Regum Insignibus (id quod æmulus toties & tot bellis turbatum iri præsumserat) Augustæ Vindelicorum an. 1690. mens. Januar. exornatum accepit; ad summum Felicitatis & Gloriæ complementum alterum quoque Filium Carolum an. 1703. mens. Sept. Viennæ Regem Hispaniæ proclamatum, ad Monarchiam istam occupandam lætissimis auspiciis dimisit; quo Imperio etiam potitum inter auspicatissimos victoriarum nuncios percepit. Hujus munere filias etiam non nisi tanto Cæsare nasci dignas, Regnis & Regibus Magnus Pater educavit. Pace externa constituta de dissidiis intestinis, quæ novis motibus ansam præbere possent, fuit sollicitus & causam Aurelianensem, (a) turbas item Rheinfellensem (b) & Megalopolitanam (c) transegit, composuit, sedavit. An 1698. Vix Germanicæ Provinciæ desiderata diu Pacis Bona degustaverunt, cum novi Belli tumultus quietem publicam turbaturi viderentur. Mortuo enim Carolo II. Hispaniæ Rege Cal. Nov. an. 1700. vel authentico vel supposititio Testamento Regis Galliæ Ludovici XIV. nepos Dux Andegavensis Successor destinabatur; quem etiam avus ad occupandam istam Monarchiam omni necessario apparatu instructum sine mora in Hispaniam mittebat, ubi cum consensu & plausu totius Regni nomine Philippi V. recipiebatur. Et sic Anglorum & Batavorum credulitati, quibuscum divisionis tractatum inire simulaverat Rex callidissimus (d) illusum & clarissima Domus Austriacæ jura turpissime à Gallis posthabita. (e) Justitia causæ confisus Leopoldus cum probe agnosceret, quanta belli moles immineret, de fœderibus ineundis cogitabat. Ex Imperii Ordinibus Rex Borussiæ primus Societate se adjunxit; Ceterorum Statuum auxilia adhuc solicitanda; Solenni igitur ritu belli denuntiatione an. 1701. facta, Cæsar suis ac Brandeburgicis copiis, post divinam opem, nixus, Gallos, Ducis Sabaudiæ accessione longe valentiores, auspiciis Principis Eugenii in Italiæ finibus, & felici quidem successu aggreditur. (f) Angli & Batavi facta congressione belli, malámque Gallorum fidem sentientes, ultro Cæsari fœdus obtulerant, séque ad vindicanda jura Austriaca obstrinxere, Americanarum, si quarum potiti fuissent, provinciarum possessionem pacti. (g) Tum & mari & terra an. 1702. Anglicæ Batavæque copiæ ex Belgio & ad Rhenum infer. infesta arma moverunt, in Italia vero Cæsareæ & Borussicæ Legiones res strenue gerebant. Tandem reliqui quoque Circuli, exceptis Coloniæ & Bavariæ Electoribus, mutatis consiliis, magno fœderi nomina dederunt & probata Cæsaris causa commune bellum gerendum decreverunt; modo dicti Principes Bavarici prætendebant, hoc bellum non ad Imperium, sed modo ad Domum Austriacam ac Ejus jus in successione Monarchiæ Hispanicæ pertinere, & hinc non consultum esse, his turbis se immiscere & motuum discrimen in proprias ditiones attrahere: Hinc ut terras suas à periculo invasionis præmuniret Ulmam stratagemate, alias vero Imperii civitates vi aut pactis occupat Elector Bavariæ, e.g. Memmingam, Neoburgum, Ratisbonam, Passavium Campidunum &c. & magno Gallorum agmini per Silvæ Hercyniæ fauces perrumpenti sese jungit. Et sub initium quidem cunctis fortuna adspirare videbatur moliminibus; ast faventiorem experiebantur Martem & sortem Fæderati ad Rhenum Inferiorem, in Belgio, in Italia & mari; Imprimis postquam & Sabaudiæ Dux Gallicis partibus relictis Cæsari se associaverat, Portugalliæ itidem Rex pro illo arma sumserat; & ad quem inter fervidissimos belli conflictus, Orbis Delicium Carolus, postquam pientissimus Parens Leopoldus & Amantiss. Frater Josephus Juri suo renunciaverant, mense Septembr. an. 1703. Rex Hispaniæ solenni ritu Viennæ proclamatus, Anglica classe missus personantibus jubilis & plausibus Lisabonæ receptus fuerat. Cum vario Marte hinc inde pugnatum esset, omnis vis & nervus belli in Bavaros convertebatur, qui Gallis juncti d. 3. Jul. ad Donawerdam in monte Schellenberg & novis subsidiis sub Marschallo Tallardo aucti d. 13. Aug. an. 1704. Ducibus Eugenio & Marlborougio, Heroibus invictissimis, ad Hochstadium ita occidione cæsi fugatíque sunt, ut castris impedimentísque amissis, vix fugitivarum reliquiarum pars Rhenum transierit. Tam fatalem stragem continuo totius Bavariæ deditio, captarum urbium evacuatio, & per hos fines tranquillitas est secuta, & præcipue, cum munitissimum castellum Landavia auspiciis Rom. Regis Josephi denuo hostibus erepta esset, feliciori sidere res ad Rhenum superiorem geri cæperunt. (h) Dum ad novam expeditionem bellicam & hostium impetus porro reprimendos maximi fierent apparatus, in felicissimo victoriarum cursu Gloriosissimus Cæsar Leopoldus, cum modo quintum & sexagesimum annum ætatis, Imperii vero quadragesimum septimum ageret, Orbi, Regnis, Stemmati d. 5. Maji an. 1705. ereptus ac ad superos evectus est. Concessit hoc benignissimum Numen Imperatori pientissimo, ut sereniori Pacis affulgente spe, duobus potentissimis ac justissimis Filiis, uno Romanorum, altero Hispanorum, Regibus relictis, in cælestis ac perpetuæ Pacis domicilium obitu placidissimo transferretur, qui in Terris præclarissimorum Pace & bello Gestorum gloria, Virtutúmque incomparabilium meritis cumulatissimis Magni (h) imo Maximi nomen promeruit, deportavit. Symbolum: Quo nullum sinceriùs veriùsque penicillus expressit: Sceptrum oculatum & gladius orbem terrarum coronatum sustinent, cum Lemmate: *Consilio & Industria.* (i)

(a) Rinckius in vita Leopoldi p 1352. seqq. Faber T.V p.318. Acta Compromissi Francof. Continuation des Actes & Memoires des Negotiations de Ryswick. (b) Acta in ea causa. Faber T. V. c.9 T. VI. c. 11. (c) Theatr Europ. T.XV. p.60. seqq. Rinck. p.1285. 1309. seq. 1401. (d) Rinck. p.1384 seqq. Leben Caroli III. P. I. p. 43. seqq. (e) Rinck. p. 1387. seqq. Leben Caroli III p. 94. Faber T.V. p.735 (f) Rinck. p.1409. seq. Leben Caroli III. Spanische Successions Krieg Leben Eugenii. (g) Conf. Rinck. p.1435. Leben Caroli p.444. 573. Spanische Successions-Krieg p.246. &c. Fab. Staats Canz. T.VI. p.434. Thucelius & P.T.I p.370. 652 (h) Rinck. p.1608. seq. Spanis. Successions-Krieg p.706. seq. Memoire de la Guerre T.II. p.114. seq. Leben Eugenii P.II. p.224. &c. (h) Rinck. p. 1677. seq. p. 338. Lettres Hist. Ao M. DCC V. p. 629. (i) Historia Leopoldi Cæsaris Italicè tribus tomis vulgata Auth. Galeatio Gualdo Priorato ab an. 1656. ad an. 1670. Joan. Wagenfels fama Europæa Germ. edita cap 12. Fama Austriaca per Com. à Brandis. a pag 237 ad an. 1678 Recensus annui Francofurtenses Calendarium gestorum Leopoldi Magni Germ. vulgatum Annales & acta Pietatis August. domus Habsp. Austr. Auth. Wencesl. Adalb. Cserwenka Ludovicus Schönleben. dissert. Polem. de prim. orig. domus Habsp Austr. p.2 c.8 prærog. 8. §. 15. Thuldenus, & Brewerus in Cont. Brachelij. Cont. Flosc. hist. de Bussiers. Brietius ab an. 1658. cum continuatore ad an. 1692.

SUb annum sæculi hujus nonum defunctus sine hærede masculo Joannes Wilhelmus Juliæ, Cliviæ, Montium, &c. Dux, magnæ inter agnatos successores controversiæ viam aperuit. Dúmque Saxoniæ Elector vi matrimonii & pactorum jam anno 1527. initorum, Brandeburgus, Neoburgicus, Bipontinus Duces, & Burgoviæ Comes ob defuncti filias conjuges hæreditatem singuli peterent, post longam inter partes contentionem, Brandeburgus Elector Cliviam, Marchiam, & Ravenspergam; Neoburgicus Juliacum, Montes, & Ravensteinium sibi vendicant. Quæ divisio utrinque est ratihabita anno 1666. Absque tamen præjudicio familiæ Saxonicæ, cui vi pacis Westphalicæ in defectu stirpis jus reservatum, & idcirco titulus etiam concessus est. Id, quod pariter Sueciæ Reges, utpote ex Bipontinis descendentes pari jure usurpant. (a)

Anno 1610. Hailbronnæ in Suevia Sectarii *Correspondentium* assumpto nomine arcto se fœdere contra Catholicos junxerant; *Unionis*, ut vocabant, Duce & Principe Friderico V. Palatino Rheni, & Calvini asseclâ assumpto. His Confluentiæ *Liga Catholicorum* opposita sub *Ligistarum* nomine Maximilianum Bavarum sibi Ducem præfecit. Arma partium post annum decimum in Bohemia initium duxêre; ubi, quòd Ferdinandus Matthiæ Successor contra *Literas Majestaticas* Romanam fidem impensiùs urgeret, Rex Sectarius à Bohemis admissus est. Sed suo & popularium damno: nam post anni dimidium Regno simul & Palatinatu deturbatus Electoralem etiam dignitatem exul & vagus amisit. Dissoluta hinc *Unio*, & Bohemis rebellibus libertas adempta est. (b)

Palatinus inferior, pulso Friderico, partim Hispanis, partim Maximiliano Bavaro cessit; cui itidem Palatinatus superior cum Electoris munere à Ferdinando II. collatus est. (c) Duci Saxoniæ ad sarciendas belli impensas Lusatia tum concessa; anno dein 1637. tanquam feudum Bohemiæ ex pactis Pragensibus eidem relicta est. (d)

Sub eadem tempora, id est, anno 1619. novus Ordo Equestris *de Sacra Militia Christiana* sub protectione Deiparæ, ac S. Michaëlis Viennæ Austriæ cepit originem; idque ad defensionem Christianorum ab infidelibus oppressorum, & Reipublicæ Christianæ concordiam. Authores Dux Nivernensis, Dux Saxoniæ Lawenburgicus, Princeps Razivilius, Comes Althaimius, Buechaimius, aliique fuêre. Quem ordinem paucis mutatis confirmavit Urbanus VIII. Pontifex anno 1623. (e)

Post pacem Dano extortam, & vires Sectariorum attritas solenne *Edictum Restitutionis* Ferdinandus II. Cæsar vulgavit; vi cujus adempta Ecclesiasticis bona omnia ad Ecclesias suas, & Dominos priores redirent. Durus hic hæreticis bolus, hodiedum illos (cætera reverti proniores) in erroribus contumaces retinet (f)

Anno 1637. Boleslao XIV. Pomeraniæ Duce sine liberis defuncto, acris inter Suecum & Brandeburgum de successione orta contentio; dum hic jam ab anno 1307. & 1338. firmatum sibi jus, ille captam armis possessionem prætenderet. Vendicavit contra Suecos Ducatum integrum Brandeburgus Anno 1675. & sequentibus; sed pace Neomagensi Pomerania utrique juxta articulum 10. Pacis Westphalicæ ex æquo divisa est. (g)

Post gravissimum Germaniæ bellum Pax Westphalica, articulis 17. comprehensa, Monasterii & Osnabrugæ inter Cæsarem, Gallum, Suecos, reliquósque fœderatos conclusa est Anno 1648. In ea cum Brisaco Alsatia utraque, Argentorato excepto, & dependentiâ Imperialium civitatum penes Imperium reservatâ, Gallo concessa est. Suecus præter Pomeraniam citeriorem, Episcopatum Bremensem & Verdensem; Brandeburgus Pomeraniam ulteriorem, Caminensem, Halberstadiensem, Mindensem Episcopatus, & Archiepiscopatum simul Magdeburgensem accepit; quo postremo non nisi sub annum 1680. post mortem Augusti administratoris Saxonici ex pacto plenè potitus est. Carolo Ludovico Friderici proscripti filio Palatinatus inferior cum Jure & titulo octavi Electoris & S. R. J. Archithesaurarii datus; Duci Bavariæ Electoralis dignitas, & adjecta nuper ditio confirmata est. Alia aliis privatis Principibus tum concessa sunt, Helvetis & Hollandis sua libertas stabilita; præter Catholicam & Lutheranam, Calviniana etiam doctrina per Germaniam tolerata. (h) Contra quod, & præcipuè adversùs illam tot bonorum Ecclesiæ debitorum alienationem, multorum quidem linguæ & calami diu protestati sunt; sed, nisi graviora in Imperii & Ecclesiæ perniciem experiri Cæsar tum vellet, amplecti eam pacem necessarium fuit; ut eruditè ostendit doctissimus Caramuel. (i)

Anno 1663. Augustissimus Cæsar Leopoldus extraordinariam Diætam Imperialem, seu Comitia Ratisbonæ instituit; in quibus jam in annos 62. productis, multa ad augmentum & tranquillitatem Imperii, tum potissimùm ad Religionis concordiam à congregatis Statuum, Urbium, Principúmque Plenipotentiariis prosperè hodiedum aguntur; moderante propositiones causásque Celsissimo semper hactenus ablegato Cæsareo. (k)

Sub Cæsaris ejusdem auspiciis Erfordia in causa Religionis pertinacior ad obsequium rediit Archiepiscopi & Electoris Moguntini anno 1664. Dum alibi per mortem Antonii Guntheri Comitis Oldenburgici ex eâ familiâ ultimi, Comitatus integer ejus nominis Daniæ Regno accessit. Anno 1667. (l)

Controversia Wildfangiltica, quæ calamis diu, post & armis ventilata erat inter Electorem Palatinum, Moguntinum & vicinos Con-Status; tandem Hailbronnæ instituto compromissoriali *Laudo* terminata est. anno 1667. (m)

Per obitum Ferdinandi Caroli Archiducis & Comitis Tyrolis, Comitatus ille ad lineam Austriacorum gloriosè regnantem, ac in Cæsarem Leopoldum devolvitur, an. 1662. Altero insuper dein titulo Cæsari debitus, cum defuncti superstitem filiam Claudiam Felicitatem matrimonio sibi junxisset. (n) In Silesia pariter, extinctâ Piastorum familiâ, tres Principatus, Lignitium, Briega, & Wollavia ad Cæsarem, ceu Dominum directum reducti sunt, an. 1675.

Pax iterum turbato recéns Imperio Neomagi data; in qua Friburgum Brisgoiæ ad Gallos, & Philippopolis ad Cæsarem transeunt. Articulis reliquis erepta nuper à vicinis Principibus Sueco sunt reddita. In Belgio plura Gallis concessa. an. 1679. (o)

Metis & Brisaci duæ *Reunitionum Cameræ* à Galliarum Rege institutæ sunt, an. 1680. in quibus, si quid reliquum ad Alsatiam quovis jure pertineret, inquireretur. Hoc Jure (an injuriâ) adhuc liberas in Alsatia civitates Imperiales cum Argentorato sibi asseruit, & feudale etiam obsequium à Bipontino, Veldensi, Birckfeldensi, Monpelgardiensi, & Badensi Principibus exigere ausus, nascituro mox iterum bello prælusit. Cui tamen præveniendo, vicennale armistitium inter Cæsarem, Galliam, Hispaniam simul & Belgium, an. 1684. Ratisbonæ sancitum est. (p)

Mortuo sine liberis Palatino Rheni Electore Carolo, Linea Neoburgica defuncto proxima in ditionem dignitatémque successit; primus in ea Philippus Wilhelmus Augustissimi socer à Cæsare genero investituram accepit, an. 1685. Etsi diu pro Carolâ Elisabethâ Aurelianensi nuptâ, & defuncti sorore Rex Gallus dein contenderet; rebus tandem Ryswicensi pace ad amicabilem compositionem remissis. (q)

Mortuus item, sed tardiùs, id est, an. 1688. Maximilianus Henricus Elector Coloniensis grandi dissidio ex suo obitu ministravit materiam; dum successorem illi Wilhelmum Egonem Fürstenbergium Principem suarum partium Rex Gallus, at Josephum Clementem Bavarum Cæsar proponeret. Evicit causam Cæsar, dum potioribus Postulantium suffragiis, mox etiam approbatione summi Pontificis in defuncti locum Clemens suffectus est. His (quamvis & alias belli causas dein prætenderet) offensus Franciæ Rex anno statim sequenti contra vicennales inducias toto Palatinatu armis & igne grassatus est. Multis ad Rhenum & ultrà cultissimis urbibus quà eversis crudeliter, quà occupatis, bellum Cæsari novus hostis denunciat; quod ferè in novennium variâ vice continuatum, tandem Pace Ryswicensi anno 1697. terminatum est. (r)

In ea prætensiones Camerarum Reunientium sublatæ; Trevirensis Elector urbi suæ & ditioni restitutus est. Lotharingiæ Duci suus ducatus, quem jam annos 18. Galli tenuerant, paucis exceptis, redditus. Bipontinus item & Wirtenbergicus Duces, Marchio Badensis, Nassovius, Salmensis, aliique Comites in veteres possessiones reducti sunt. Austriacis Friburgum Brisgoiæ, Brisacum, & Philippopolis postliminio accesserunt. (s)

Spirâ urbe sub an. 1690. exustâ eversâque, Imperialis Camera Wezlariam, liberam Imperii civitatem, translata est.

Hoc præterea sæculo, quo Austria tot suorum cladibus, & prodigè litato Heroum plurimorum sanguine, Turcarum tyrannidi Hungariæ Regnum eripuit, Hæreditarium illud Austriacis esse cœpit in Comitiis Posoniensibus & Coronatione Regis Josephi, anno 1687. ubi non Leopoldinæ solùm, sed Hispaniæ etiam, lineæ in defectu stirpis jus succedendi servatum est, & consensu Statuum Regni approbatum. (t)

Anno 1692. Auctus à Leopoldo Cæsare Electorum Imperii numerus, & primus ea dignitate ornatus est Ernestus Augustus Dux Hannoveranus.

In Ducum ordinem hoc sæculo à Ferdinando II. adlectus est Albertus Comes Wallenstainius. an. 1628. à Ferdinando III. eâdem dignitate auctus Princeps Arembergicus, cùm superiore jam sæculo à Maximiliano II. è Comitibus in S. R. J. Principes ejus Majores promoti fuissent. Præterea Principum titulis per Ferdin. II. ornati sunt Comites, Hohenzolleranus, Eggenbergicus, Lobkowiczius, Salmensis, Liechtensteinius, Dietrichsteinius; à Ferdinando III. Nassovius, Auerspergicus, Piccolomineus, & Frisiæ Orientalis; à Leopoldo I. de Croy, de Portia, Fürstenbergicus, Schwarzenbergicus, Oëttinganus, de Waldeck, Nassovius Saræpontanus, ab Hanau, de Thurn & Taxis à Schwartzburg. In S. R. J. Comitum numerum copiosius, quàm ut recensere hic vacet, relati sunt. (u)

In Ratisbonensi Diæta ob exactiorem temporum rationem Calendarium Gregorianum receptū est, ejúsque usus ex consensu ordinum Imperii communis omnibus cujusvis in Germania religionis sequacibus esse cœpit an. 1699. sub finem Mensis Februarii.

Pax Travendaliæ sancita an. 1700. bellum, quod inter Fridericum IV. Daniæ Regem & Christianum Albertum Holsatiæ Ducem exarserat, restituto Duce in omnia Jura, mox in cinere extinguit. (x)

(a) Calvisius. ad an. 1609. Hermes. fasc. Juris publ. c. 33. n. 22. Jac. Wilh. Imhoff. Notitia S. R. J. Procerum l. 2. c. 8. n. 18. (b) Brietius an. 1609. Spondan. an 1610 n. 5 Histor. nostri temp. P. Christoph. Ott. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap 2. n. 7. 8. (c) Hermes. l. c. cap. 26. n. 7. Imhoff. l. c lib 2. c. 9. n. 1. Brachelius. hist. nostri temp. l. 2. post initium. Calvis. an. 1621. & seq. (d) Idem ad an. 1623. Imhoff. l. c lib. 2. cap. 7. n. 23. in fine. (e) Calvisius. an. 1619. & 1624. Spondanus. in Prolus. ad sæc. 17 an. 1619. n. 14. (f) P. Christ. Ott. hist. lib. 2. cap. 4 n. 2. Brachelius in hist. lib. 3. circa finem. Calvis. ad an. 1629. (g) Calvisius ad an. 1637. Hermes cap. 32. num. 23. & cap. 24. num. 3. Imhoff. lib. 2. cap. 8. n. 13. (h) Adolphus Brachelius in Hist. nostri temp. lib 7. statim ab initio. (i) Libro, cui titulus: Pax S. R. J. Licita demonstrata, edita Viennæ typis Cosmerov. an. 1649. (k) Herm. Hermes cap. ult. num. 63. (l) Jac. Wilhelm Imhoff. notit. S. R. J. Procerum lib. 2 c. 2. n. 6. in fin. & lib. 4. cap 9 n. 10. (m) Idem lib. 2. cap. 9. 29 & seq. Contin. Flosc. hist. P. Bussiers. Areol. 16. pag. 460. (n) Idem pag. 454. (o) Continuator. Brietii ad an. 1679. (p) Idem ad an. 1680. & 1684. vide etiam Libellum, cui titulus: Fecialis Gallus, auth. Anonymi. (q) Contin. Brietii ad an. 1685. in fine. (r) Idem. ad an. 1688. circa medium. & seq. (s) Vide Articulos Pacis Ryswicensis. (t) Contin Brietii. ad an. 1687. Acta Coronat. & Comitiorum Poson. (u) Hermanus Hermes fasc. Juris publ. cap. 33. à num. 51 ad num. 65. Jacob. Wilh Imhoff. Notitia S. R. J. Procerum lib. 5. cap 2 n. 5. cap. 3 n. 2. cap. 4. n. 6. 7. cap. 5. n. 5. cap. 6. n. 17. in fine. cap. 7. n. 3. cap. 8. n. 10. c 9. n 8. cap. 10. n 9. cap. 11. n. 9. cap. 12. n. 1. cap. 13. n. 4. c. 14. n 7. cap. 15. n. 8. c. 17. n. 5. Cætera, quæ hic parciùs citata sunt, vide in Recensibus annuis Francofurtensibus ad annos assignatos. Consule etiam Historiam bellorum Leopoldi I. Germanicè editam, Authore Christophoro Boëthio. (x) Europ. Historic. p. 2200 seq. Rinck. p. 1402. seq. Einleitung zur Historie des neuen Kriegs p. 200. seq. Faber Staats-Canz. T. V. p. 693.




IUBILÆO POLITICO
Triumphans.
Landau 1702. 1704.
Hungar.
Concilio et Industria

CAROLO VI.
PACIS
REPARATORI ET CONSERVATORI
FORTISSIMO, FELICISSIMO,
PLAUSUS VOTIVUS.

Magne Cæsar, Pacis almæ
Repparator, fronde Palmæ
Fluctuat nunc ripa Rheni,
Ister exultans amœni
Certa signa, laude digna,
Temporis denuntiat.

Stant vireta laurearum
Cuncta plena Gratiarum,
Arma fracta vel parata
Pacis instrumenta grata;
Jam colemus, ut vovemus,
Aureum nos Seculum.

Terror hostis Tu manebis,
Palma ceu victrix virebis
Mixta lauris ac olivis;
Dúmque plaudit rite civis,
Clade fracto & subacto
Fulmen audis Bistoni.

Fortis Augustum reducis,
Imo plus fert fama Lucis,
Finibus dum Regna jungis
Perfidósque strage pungis,
Dona pacis pervicacis
Ferre mundo properas.

Marte ceu victoriosus,
Pace sic & gloriosus
Parta fortiter tuere;
Stemma cernas post virere;
Eja Pignus det Benignus
Pacis hoc Constantiæ.

Vive, flore summe Rector,
Orbis Atlas & Protector,
Pacis Almæ restitutor,
Illius jam sancte Tutor
Compleant hinc Facta Mundum,
Vita totum Seculum.

Cæsares Regésque Germaniæ ab anno 1700. ad Jubilæum 1725.

JOSEPHUS I. Augustissimis Progenitoribus, Leopoldo I. Cæsare & Eleonora Magdalena Theresia Imperatrice, diu ac ardenter Austriæ desideratus Princeps, Viennæ natus est d. 26. Julii Anno 1678. A Buda Hungariæ metropoli recepta anno altero, i.e. Anno 1687. Posonii non jam Electionis, sed hæreditario successionis jure, solennissimè & antiquo Pannoniæ Regum ritu inauguratus Apostolicam coronam primus *Hæres* obtinuit. Ex quo, conciliante in id ipsum Electorum animos Augustissimo Cæsare post biennium Augustam Vindelicorum deductus, (post impositum Eleonoræ Augustæ diadema Germaniæ) & ipse Josephus in Romanum Regem ritè electus & coronatus est Anno 1690. mense Januar. Dum interim jam à prima ætate in politiore literatura, belli Pacísque artibus sagacissimus Princeps excolitur, lectissima illi Hannoverani sanguinis Sponsa, Wilhelmina Amalia, per Italiæ fines advecta est, cum qua, magnificentissime Viennam recepta, instituta nuptiarum Solennitas è remotis etiam ditionibus magnos mirantésque spectatores pellexit d. 24. Februar. Anno 1699. Vidit ex hoc felicissimo Conjugio Orbis Principem masculum unum, sed, eheu! nondûm elapso anno vivis iterum ereptum, duásque Principes filias, quarum natu major Maria Josepha Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ Principi Hæreditario Friderico Augusto, altera, Maria Amalia, Electoris Bavariæ Principi Hæreditario Carolo Alberto auspicatissimi matrimonii fœdere juncta. Quanto ardore asserendæ salutis & libertatis publicæ flagraret, quid de Fortitudine ac Fide ipsius Imperii cives sibi promittere possent & deberent, duplici obsidione & expugnatione munitissimæ civitatis Landaviensis Anno 1702. & 1704. non absque vitæ discrimine parta Gloria demonstravit; & pro nominis omine, se ut verum *Josephum* Regni finibus & Prosperitati publicæ incrementa lætissima allaturum, non vano declaravit augurio. Hinc cum Leopoldum Polus ut suum Anno 1705. d. 3. Maji repetiisset, unanimi suffragiorum conspiratione Cæsar renunciatus, ex more Principes & Civitates Imperii solenniter in fidem recepit. Ut ad maxima quævis natus ita & à teneris institutus fuit. Ad Cæsaream evectus dignitatem gravissimam belli molem veluti hæreditate in se devolutam fortissimo suscepit animo, & ut rebellium Bavarorum conatus strenue repressit, ita Civium Romanorum animos arctissimè sibi conciliavit, cum Regni primordia restitutione Urbium Ulmæ, Landaviæ, Donawerdæ in jura Civitatum Imperialium auspicaretur. (a) Uti justissimam propugnabat causam, ita gratissimis recreabatur nuntiis, qui in Italia prope Cassanum Gallos clade affectos, in Hispania ope classis fœderatorum Barcinonem, cum plerísque Cataloniæ & Valentiæ oppidis in deditionem acceptam referebant. (b)

Sequenti s. altero Regiminis anno 1706. victoriarum messe recreabatur, dum post felix prælium ad Ramelies in Brabantia Bruxellæ, Antwerpia, Lovanium, Mechlinium, Gandavum, Brugga, Cortracum spontanea deditione; Ostenda, Menena, & Athum expugnatione in potestatem legitimi Possessoris cederent. Augusta Taurinorum gravissima obsidione liberata, invictæ Germanorum fortitudinis cum funesta Gallorum strage illustrissimum extabat monumentum. Non minus urbis Mediolanensis ultronea submissio & Casalii violenta occupatio exultandi cumulabant materiam. Ex Iberia quoque jucundissimi advolabant rumores, Gallos nimirum Barcinonis, cujus mœnibus ipse Rex Carolus inclusus erat, pertinacem solvisse obsidionem & in ipso eclipsis solaris articulo lymphatis similes cum Duce Andevagensi discedentes obscurati Gloriæ fulgoris omen reliquisse. In Principes Bavaros Fratres duriorem se exhibere cogebatur, (c) dum Gallicæ societati renunciare detrectantes,

(a) Rinck. P. II. p. 31. Faber Staats-Cantzl. T. X. c. 7. (b) Rinck. p. 63. seq. Spanische Successions-Krieg p. 749. seq. Lettres Histoir. Ao. 1705. Synops rerum per Europ. gestar. ad h. a.

(c) Leben Josephi p. 106. seq. Faber Staats-Cantzl. T. XI. c. 11. T. XII. c. 11. Elect. I. P. T. I. p. 591. T. II. p. 596. Monatlicher Staats-Spiegel. Aug. Ao. 1706.

Colonienſis quidem ditionibus privabatur, Bavariæ Dux autem plane proſcribebatur. Dum vero Galli Alemannorum arcentur finibus, in ipſo Gremio Germaniæ nova belli flamma eruptura videbatur, cum Sueci Saxonicas ditiones valenti exercitu, hoſtes ſuos perſecuturi, invaſiſſent; ſed Pax Alt-Ranſtadenſis, duriſſimis Regis Poloniæ conditionibus ſancita Anno 1707. omne periculum diſcuſſit & avertit. (a) Ineunte vere Anni 1707. non ſolum arx munitiſſima Mediolani Fœderatorum armis, ſed & intercedentibus pactis Galli tota ſuperiore Italia ceſſere, tutum abitum prius ſtipulati. Brevi poſt totum Regnum Neapolitanum Comes Daunius armata manu appropinquans in poteſtatem legitimi Regis redegit. Ad Rheni tractum invaleſcens inimicorum potentia invicta Georgii Ludovici, Electoris Luneburgici, virtute repreſſa. (b) Grave huic Cæſari cum Clemente XI. Papa Rom. interceſſit diſſidium Anno 1708. qui Philippum pro verò Hiſpaniæ Rege agnoſcens, variis modis Gallorum ſtudium præ ſe tulerat; ſed & ſibi & terris ſuis melius conſulens S. Pater, abdicato Gallorum fœdere motas lites amicæ transactioni permittere eſt adactus. (c) Cum omnes Italicæ ditiones Regi Hiſpanorum vindicatæ eſſent, auſpiciis Sabaudiæ Ducis Fœderatorum exercitus in Delphinatum penetravit, & diverſis per aditus vallium caſtellis potitus eſt. In Belgio non minus ſtupendos arma pro Cæſare & Rege Hiſpaniæ Carolo militantia progreſſus habuere, quippe poſt Aldenardenſem Gallorum ſtragem Inſulæ, Gandavum, Bruggæque cum aliis caſtellis injuſtorum manibus erepta. (d) Galli res ſuas non lentis gradibus retrò labi videntes, cum privata fœderatorum animos diſſociandi molimina non ſucceſſiſſent, pacem ſolenniter ſub ingreſſum anno 1709. rogare cœperunt; ſed cum fide fluxa &, ut belli apparatus & conſilia morarentur, id fieri deprehenſum eſſet, denuo ad arma itum & eodem adhuc anno & pro inexpugnabilibus venditatæ urbes Tornacum & Montes Hannoniæ, ubi prius Galli acerrima pugna debellati, (e) invictâ per hoc bellum & nunquam ſatis extollenda virtute Ducum Sabaudiæ Eugenii & Britannorum Marlbourgii, expugnatæ. Quod vi non poterant, denuo ſimulato Pacis ineundæ deſiderio aſſequi tentabant Galli, Gertrudebergam itáque fœderatorum legatos alliciebant; (f) Sed cum ſubdolam mentem facile cognoſcerent cordatiores, ſpretis his tergiverſationibus aperto Matre agere rurſus cœpere arctiſſimo vinculo conjuncti fœderati & aliquot Flandriæ & Arteſiæ munitiſſima oppida uno victoriarum curſu anno 1710. occupavere, Duacum nimir. Bethunam, Ariam, S. Venantium; & ſic magis magísque fractæ inimicorum opes & in ipſa viſcera penetrandi aditus recluſi. Vidit itáque Imperator Optimus, juſtiſſimus, fortiſſimus Joſephus feliciſſimum belli ſtatum & progreſſus optatiſſimos, efflorеſcentem in Hiſpania Caroli Fratris fortunam & ſucceſſus ubíque vota ſuperantes, aſt in medio ætatis flore, maximorum operum ſucceſſu ac triumphorum ſerie, totius Europæ luctu & ſtupore Vindobonæ d. 17. April. anno 1711. variolis obiit, (g) animámque cariſſimam cœlo remiſit, cum nondum 33. vitæ & 6. Imperii compleſſet. Symbolum fuit, *gladius oculum in extrema prætendens ac oliva implicitus*, cum lemmate: *Amore & Timore.* (h)

Poſtquam inclementiora fata præmaturo obitu Joſephum Cæſarem abſtulerunt, Palatinus & Saxoniæ Elector, durante per 7. menſes interregno, Vicarium ſuſceperunt Imperium, (i) illúdque usque ad Coronationem novî Cæſaris geſſerunt; & à fœderatis adhuc contra Gallos bellum adminiſtratum, magis quidem defendendo, quam inferendo. (k) Ad eligendum vero novum Imperatorem Francofurti convenere Moguntinus, Trevirenſis & Palatinus, reliqui quatuor autem (nam Colonienſis & Bavaricus, quamvis poſtulaverant, non admittebantur,) Electores legatos ſuos miſerunt; hi communicatis inter ſe conſiliis Capitulationem, cui tum prima vice Legatus Bohemicus intererat tractatui, conſignaverunt, & concordibus tandem ſuffragiis CAROLUM, Hiſpaniæ Regem, novum renunciaverunt Cæſarem; digniſſimum tanto Patre ac Fratre tanto Succeſſorem.

Demiſſum cœlitus eſt hoc Gratiæ Pignus, Orbísque Decus atque Præſidium anno 1685. d. 1. Octobr. Progenitore Romanorum Cæſarum maximo Leopoldo I. Matre Eleonora Magdalena Thereſia, Electoris Palatini Philippi Wilhelmi filia, Deo Hominibúsque acceptiſſima. Princeps in tantum laudandus, in quantum Virtus intelligi poteſt; Cunctis Prærogativis ac Donis excellentiſſimis vel à naturâ vel inſtitutione largiſſimè inſtructus. Omnium Virtutum & Dotium, quibus ſinguli Cæſares & Archi-Duces Auſtriæ præfulſere, illuſtriſſimum Compendium; qui cum Imperio ſit maximus, exemplo major eſt. Carolorum veſtigia premens & laudum faſtigia ſuperans, qui Sextus ordine Majeſtati conveniens hoc nomen gerit.

Quam primum Electionis nuntium accepit, per mare, per alpes in Germaniam feſtinavit, ita ut tam longinquo itinere celerrime confecto, die 22. Dec. elabentis 1711. anni ſolenniſſimo ritu Francofurti inauguraretur. Cum inter raucos armorum ſtrepitus Imperii adminiſtrationem invictus Heros ſuſcepiſſet, omnem curam ad bellum ſtrenue diverſas per regiones & regna continuandum & tandem feliciter finiendum magnanima intendit providentia. Verum magna aulæ Anglicanæ Viciſſitudo rerum univerſitati aliam faciem induxit, dum non pauci Purpuratorum ad partes Gallorum inclinarent, obtendentes, non pati rationes Europæ, ut duo potentiſſima Imperia, Romanum nimirum & Hiſpanicum unius Monarchæ nutui parerent & ſubjicerentur, nec æquum eſſe, ut, ceteris fœderatis rem frigidius tractantibus, tota belli moles, maximo nationis incommodo, ſolis Britannicis opibus ſuſtineretur. Hinc expeditione hoc anno 1712. ſuſcepta, cum favens ſe hoſtem aggrediendi obtuliſſet occaſio, Ormondius, qui abrogata Duci Marlboroughio ſuprema poteſtate, in locum ejus ſuffectus erat, confligere detrectavit, copias ſuas ab exercitu ſociorum ſeparavit & paulo poſt initas cum Gallis publicavit inducias. Et hac ratione in medio curſu lætiſſimi Victoriarum progreſſus ſufflaminati ac Sociorum animi ad fœdus diſſolvendum commoti, ſoli autem Carolo tota belli moles Principis Eugenii auſpiciis ac ductu ſuſtinenda. Inprimis cum Anno inſequenti 1713. Ultrajectum Angli, Batavíque ad ſolennes Pacis tractatus Fœderatos invitaſſent. Sabaudi, Luſitani, Rex Boruſſiæ, aliquot potentiores Germaniæ Principes & præcipue Galli legatos miſere, &, nequicquam obteſtantibus & contradicentibus Cæſareis Oratoribus, ex lubitu Anglorum & Gallorum quaſi ex jam compoſito tranſacta ſunt omnia, & Gallis Hiſpaníſque acceptiſſimæ ſtipulatæ & conceſſæ conditiones. (l) Quamvis Princeps Eugenius impavido animo hoſtibus ad Rhenum ſuper. obviam iret, copiis & alio apparatu longe inferior, impetum eorum retundere aut impedire non valuit, (m) quo minus Galli recuperata Landavia, Rhenum trajicientes Friburgo in Briſgovia potirentur. Rebus ſic comparatis Optimus Cæſar inſuperabiles belli difficultates prævidens, ſalutíque publicæ in tempore proſpecturus, communem Pacem, ingenti licet diſpendio ſuo, præoptandam judicavit. Utriusque militiæ ſummi Duces Eugenius & Villarſius ad maximum hoc opus perficiendum deſtinati ſub finem hujus anni Raſtadii in Badenſi Marchionatu congrediebantur & proclamatis induciis conditiones proponebant atque inibant, quibus proxime Pax univerſalis ſuperſtrueretur. Finita hæc transactio d. 6. Mart. anni 1714. Plena vero Pacificatio, cum Cæſari in Comitiis libera poteſtas data eſſet, Imperii nomine Pacem ineundi, Aquis Helveticis abſoluta menſe Sept. dicti anni. Prorſus poſthabita Trajectina tranſactione, in has tandem conditiones tractatuum ſumma rediit: ut, Gallis conceſſa Landavia, cetera ex Noviomagenſis & Ryſwicenſis Pacis tenore reddantur Imperio; ut Colonienſis & Bava-

(a) Leben Caroli XII. Reg. Suec. T. V. VI. VII. Synopſis p. 438. &c. Fabr. Staats-Cantzl. T. XI. c. 12. (b) Spaniſche Succeſſions-Krieg P II. p. 104. ſeq. Rinck. p 296. ſeq. (c) Rinck. p. 302. 307. ſeq. Synops p. 456. ſeq. (d) Synopſis ad ann. 1708. Rinck. p. 404. Spaniſche Succeſſions-Krieg. P II p 195. ſeq. (e) Spaniſche Succeſſions-Krieg p. 261. ſeq. Rinck. Synopſ. ad An. 1709. (f) Actes & Memoires T. I p. 62. ſeq. Synopſ. ad a. 1710 Rinck p. 552.

(g) Rinck. p. 599. Synopſ. p. 499. Leben Joſephi. (h) Brietius cum continuatione ad an. 1678. & 1690. (i) Faber Staats-Cantzl. T. XVII. c. 11. 12. T. XIX. c. 4 Electa I. P. T. III p 241. 862. (k) Synopſis ad h. ann. La Clef ad ann. 1711. (l) Fab. Staats-Cantzl. T. 18. c. 7 8 T XIX. c 9. XXII c. 12. Electa I. P T. III. p. 91. 387. T. IV. 131. 474. (m) Synopſ. p. 541. Fab. T. XXI. c. 10. Tom. XXII. c. 11. Electa I. P. T. V. p. 876.

Bavarus Electores plene terris atque juribus restituantur; ut Belgii Hispanici Provinciæ, Mediolanensis Ducatus, Neapolitanum regnum & Sardinia perpetuo jure Cæsaris sit; De cetero cuique reliqua sua jura prorsus inviolata serventur. (a) Vix Tranquillitatis inæstimabile Bonum recreare cœperat Germaniæ Provincias, cum jam novæ in Aquilonaribus Regionibus expeditiones concessum à Deo otium interturbarent & in Brunsvicensi congressu quies publica restitui non posset. Rediens enim ex Turcia Rex Suecorum Carolus XII. à pacis consiliis prorsus alienus, novum ad mare Balthicum excitabat bellum. (b) Quo nondum sedato in Orientali plaga Turcarum Imperator novos motus ciebat, qui injusta invasione Venetorum dominium Ao. 1715. opprimens, una expeditione totam Moream illis eripuerat. Justitiæ amantissimus Carolus Gentis Christianæ salutem curæ cordíque habens, ac inopinatum hoc bellum violationem Pacis Carlowicensis interpretatus, vi fœderis, aut reddere ablata Turcas jussit, aut bellum expectare. Hi bellum præoptantes, tantam copiarum multitudinem compararunt, ut Hungariam & Italiam totam se debellaturos jactarent, & media æstate hujus 1716. anni ad fines succedebant, quibus instructissimo pariter ac numeroso exercitu Princeps Eugenius obviam procedens, d. 5. Aug. tanta clade eos prostravit, ut ultra 30000. cum Ducibus cæsis, ditissimáque præda reportata, vix superstites essent ex tanto exercitu, qui Victoria utentibus Cæsareis Legionibus opponi possent: Hinc eadem adhuc expeditione munitissimum oppidum Temesvaria ad deditionem compellebatur & ingens terræ tractus, qui 650. vicos complectitur & ab Ottomanicis 164. annis possidebatur, in potestatem Caroli redigebatur. (c) Et cum sequenti 1717. anno Muselmanni denuo Martis aleam experiri decrevissent, Christiani pariter non cessabant, sed maturata expeditione copias munitissimæ urbi Albæ Græcæ admovebant, eámque obsidione cingebant; Ottomannidæ illam liberaturi agmen ad 400. m. armatorum trahebant & castris communitis Christianorum castra 130. tormentis assidue quatiebant. Ancipiti itaque discrimine circumfusi, denuo pugnæ decretoriæ summam rei committere cogebantur; dies erat 16. Augusti, quo spissa nebula prospectum adimente Christianæ cohortes Turcarum stativa invadebant, & evidenti supremi numinis auxilio, maxima illata cæde, profligatos castris, tormentis, omníque apparatu bellico exuebant; ad posteritatis memoriam insignem hanc stragem d. 18. Aug. deditio obsessæ urbis secuta & simul quasi clavis Hungariæ tradita. Non faustiores eventus in posterum sibi spondens Sultanus ac militum seditionem veritus, mitiora pacis consilia capiebat & offerebat, quæ cum Cæsarum Clementissimus non respueret, sequenti Ao. 1718. mense Jul. celeberrima illa, totíque genti Christianorum gloriosissima & fructuosissima Pax Passarovvizii composita, & non solum tota Hungaria à Turcarum jugo liberata, sed & Serviæ Regnum cum Bosniæ parte acquisita. Placatis ac perdomitis externis hostibus, totus ad Imperii negotia componenda, ejúsque salutem & Tranquillitatem promovendam ac stabiliendam ferebatur Carolus Cæsarum Optimus & Felicissimus. Et cum non nesciret, ex doctrinæ diversitate non raro etiam animorum oriri divortia ac nociva contentionum pronasci semina, de litibus ac Gravaminibus Religionis (ut vocabantur) componendis & placide tollendis quam maxime erat sollicitus. Uti in cunctis consiliis, Conatibus, & Operibus Fortunam semper expertus est faventissimam, ita & connubii fœdere pangendo fata aspiravere benignissima, dum Anno 1708. d. 1. Aug. Seculi sexúsque sui Decus summum Elisabetham Christinam, Ludovici Rudolphi Brunsvicensis Ducis filiam, ut munus cœlo demissum accepit & secundis avibus ac ventis per mare advectam Barcinone inter jubila & plausus votivos excepit & primum amplexus est. (d) Exaudivit Numen benignissimum communia Vota & supplicationes ac Anno 1716. d. 13. April. Principe masculo Cæsaream Domum beavit, sed ostendere duntaxat fata Orbi incomparabile hoc pignus & vix elapsa semestri periodo rebus humanis subductum ad cælestia regna occupanda evexere. Interim tres subsecutæ superstites Archiduces spem fovere jubent, ex fœcundo hoc matrimonio vel tandem in totius Imperii Solatium & Præsidium Principem marem Monarchiæ Romanæ & Regnis concessum iri. Cum inter dulcissima Pacis otia Carolus Pragam profectus Coronam Bohemicam Anno 1723. mense Sept. imponi sibi pateretur, ut publico argumento testaretur, se nullam sejunctam à lectissima Thori socia desiderare felicitatem aut oblectationem, eadem solennitate Bohemici Regni Insignibus exornatam voluit Elisabetham. Præsentem Imperii conditionem Ejúsque Moderatorem considerantibus, quæ de Augusto effatus est historicus, Carolo Imperatori accommodare libebit elogia: Nihil voto concipi, nihil felicitate consummari potest, quod non hic Augustus Reipublicæ, Populo Romano, terrarum Orbi repræsentaverit; Finita bella cum Christianis, sepulta externa cum barbaris; sopitus ubique armorum furor. Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuíque rerum suarum possessio. Diffusa in Orientis Occidentísque tractus, quicquid meridiano aut septentrione finitur, Pax Augusta per omnes terrarum Orbis angulos ab invasionis metu servat immunes: Hinc communis applaudentium per æthera resonat acclamatio, Vivat Basilice, regnet feliciter, *Carolus Magnus Virtutum & Seculorum compendium;* Floreat Stemma Austriadûm serósque Orbi producat Nepotes; Concedas ô supreme Monarcharum, ut, qui Victoriosus Pacis fuit Reparator, felix etiam sit Defensor & Conservator, protege ac conserva nobis hunc Statum. Symbolo utitur Cæsar clementissimus Sphæra terrestri nubibus circumdata, cum lemmate: *Constantia & Fortitudine.*

(a) Histoire de Congress. p. 476. Synops. p. 548. 551. Fab. T. XXIII. c. 9. 15. T. 24. c. 10. (b) Hist. Nachricht vom Nordischen Krieg P. I. p. 21. seqq. (c) Ungarisches neues Kriegs-Theatrum. (d) Rinck Leben Josephi P. II. p. 349. Spanische Successions-Krieg P. II. p. 203. Synops. ad ann. 1708. p. 437.

Memorabilia Imperij.

SUb auſpicia novi ſeculi nimirum Anno 1701. menſe Jan. Fridericus III. Elector Brandeburgicus, Ducis nomen cum Auguſto Regis Boruſſiæ titulo, plaudente Cæſare & Europa pene univerſa, feliciter commutavit, novúmque Regnum ſuis ſolus auſpiciis memorabili exemplo condidit. (a)

Cum exuſta à Gallis Spira Judicium Camerale Wezlariam translatum & per ſimultates & contentiones Præſidum Judicúmque admodum turbatum eſſet; Re ad Comitia delata, decretum, ut extra ordinem Judicium iſtud viſitaretur & communibus conſuleretur querimoniis. (b)

Supremus Anglicarum copiarum Dux & Heros fortiſſimus Marlboroughius, ob ſumma Virtutis bellicæ documenta ac de ſalute publica merita à Cæſare Leopoldo Imperii Principibus aſſociatur, eíque titulo Principis Mindelheimenſis ſedes & ſuffragium in Comitiis publicis aſſignatur. (c)

Non minus Principis Georgii Ludovici, Ducis Brunſvicenſis, maxima in integram Germaniam merita Imperii Status in Comitiis permoverunt, ut ſedatis controverſiis & æmulationibus, non probarent modo Electoralem in Luneburgicam familiam dignitatem, ſed & conſentirent, ut in Electorale Collegium ille Princeps tranſiret. Anno 1708. (d) Qui & Anna Regina Anno 1714. mortua Britanniæ Rex Succeſſionis jure declaratus & conſtitutus eſt & ſic Regiam Dignitatem in domum Hannoveranam intulit. (e)

Novo Electoratu nono confirmato Bohemiæ etiam Rex plene Electorali Collegio reſtitutus, ut non modo Electionis negotiis, ſed omnibus in univerſum in poſterum intereſſet. (f)

Antequam Sueci Anno 1707. ex Saxonia excederent, Regis eorum Caroli XII. interceſſione à Joſepho Imperatore Proteſtantibus per Sileſiam Sacrorum jura reſtituta & ablata templa reddita. (g)

In Hungaria, interponentibus ſe Anglis & Batavis, tandem Zatmariæ Pax Anno 1711. d. 29. April; ſtatim à morte Joſephi Imp. concluſa cum Rebellibus, eíſque, ſancita Amneſtia, publicàta bona reſtituta, Confirmatio Privilegiorum & Immunitatum & Religionem quod attinet conſtitutionum in illo Regno introductarum conſervatio promittebatur. (h)

Conventio Antvverpienſis de Securitate Limitum (Barriere Tractat) inter Cæſarem & Batavos finita. Anno 1715. d. 15. Novembr. (i)

Nova Societas & Navigatio in Indiam Orient. & Occident. Oſtendæ erecta Caroli VI. auſpiciis, multum contra nitentibus Batavis.

Non minus peculiaris commerciorum & navigationum tractatus cum Turcis conſtituebatur Paſſarovvizii Anno 1718. menſ. Jul.

Epiſcopatus Viennenſis in Eccleſiam Metropolitanam & Archi-Epiſcopatum evectus Anno 1722. d. 1. Jun. à Pontifice Max. Innocentio XIII. ſub Epiſcopo Sigismundo de Kolloniz.

Inter partes in Septentrionalibus Provinciis belligerantes & præcipue Moſchorum Cæſarem & Sueciæ Regem Pax Nyſtadii in Finnlandia compoſita Anno 1721.

Anno 1724. menſe Decembr. Viennæ decretum, ut Archi-Dux Auſtriæ Maria Eliſabetha tanquam Gubernatrix Belgicarum Provinciarum Bruxellas mittatur; quo Comes Daunius ad neceſſarios apparatus inſtituendos prius profectus eſt Anno 1725. menſe Jan.

(a) Puffend. rer. Brandeb. libr. VI. n. 71. 77. Rinck. p. 1449. 1433. (b) Rinck. p. 1015. 1654. ſeq. Fab. T. VII. c. 3. T. IX. c. 2. T. XI. c. 5. (c) Pfeffing. in Vitriar. illuſtr. p. 769. Rinck. p. 1198. ſeq. (d) Fab. Staats-Cantzl. T. XIII. c. 9. Electa I. P. T. I. num. 1. (e) Germ. Princ. p. 59. 60. (f) Synopſ. p. 461. Rinck. p. 375. Fab. Staats-Cantzl. T. XIII. c. 9. Electa I. P. T. I. p. 28. (g) Rinck. p. 240 ſeq. Lettr. Hiſtor. Anno 1707. 1708. 1709. (h) Rinck. part. II. p. 85. ſeq. 193. 339. 432. 512. ſeq. Synopſ. ad ann. 1705. ſeqq. (i) Ludwigs Univ. Hiſtor. P. II. ad h. a. p. m. 114. ſeq.

